





IOHANNIS HERBINII,
Bicina-Silesii,
Terræ Motûs et Quietis
EXAMEN,
ad Sanctam Normam.
EUSEBIA
ULTRAIECTI,
Apud Ioannem â Waesberge. 1655.

FAMOSÆ,
De SOLIS vel TELLURIS Motu,
Controversiæ

EXAMEN,
THEOLOGICO-PHILOSOPHICUM,
Ad S. Sanctam Normam,

INSTITUTUM

A

JOHANNE HERBINIO,
Bicina Silesio. Artium & Philosophiæ Magistro.

PSAL. 119. VERS. 38.

Præsta servo tuo verbum tuum, qui addictus est reverentiæ tui.





ULTRAJECTI,
Apud Johannem à Waesberge,
M. DC. LV.

D

D.

Noi

D. C
de
P.
n

D. JO
Lyg.
Redi

Illustribus, Magnificis, atque Generosis Dominis,

D. ADOLPHO WERNERO à PALLANDT, Ducatûs Cliviæ Mareſchallo Hæreditario, Satrapæ in Huyſſen/&c.&c.

D. JACOBO RANDERODE de AA, Domino in Kleyn-Poelgeſten / &c.

D. JOHANNI CAROLO à Rechlingen / in Mißbach / &c.

D. GERHARDO PLOOS de Amſtel; Domino in Oudegeyn / & Geyn. Saltuum Provinciæ Ultraject. Præfecto digniſſimo: nec non Capitaneo, & Canonico Ultrajectenſi, &c.

D. CAROLO ALEXANDRO de Bergen / Domino Sancti Montis, &c.

UT ET

Nobilibus, Amplisſimis, Excellentisſimiſque

D. GOTTFRIDO SUEVO, J.U.D. ejuſdemque in Academia Wittebergenſi P.P. Curiæ Electoralis, & Scabinatûs: nec non Conſiſtorii Eccleſiaſt. Aſſeſſori, gravisſimo, &c.

D. JOHANNI NATICIO, Illuſtriſſ. Duc. Lygio-Bregens. à rationibus Sacrorum Redituum, &c.

∴ 3 *Rever.*

Reverendo item, atque Clariſsimo,

D. FRIDERICO SCHWETGIO, Eccl. Ultrajectinæ, quæ Inv. Aug. Confeſſionis puritatem ſervat, Paſtori, & Conſiſtorii per vices Præſidi vigilantiſſimo.

NEC NON

Eximiis, Spectatiſsimis, Eruditiſsimiſque,

D. HENRICO ab UFFELEN, Antverpienſi, Domino in Vechteſteyn, &c.

D. ADOLPHO de WREEDT, Solingo Montano, &c

D. MICHAELI BRAUN, civi Elbingenſi primario.

Muſarum & Eccleſiæ DEI Patronis, Fautoribus, Cultoribus ſummis.

S. P.



PEculiare Hominis myſterium eſt, *Illuſtres, Magnifici, Generoſi, Ampliſſimi, Reverende, Spectatiſsimi Viri*: quòd cùm ipſe, Orbis Vaſallus, recens creatis Naturæ pullis, ſecundùm uniuſcujuſq; naturæ convenientiam, nomina ſapientiſſimè impoſuerit: ipſe, propter Macrocoſmum benè primitùs

tùs administratum, MICROCOSMUS tandem salutatus sit. At, quæ nominis eorum convenientia? Etiam pulchritudinem ipsis concordantem, Primum illud Pulchrum, O. M. Creator, dedit. Majorem verò Microcosmi esse nobilitatem, voluit: utpote, qui Macrocosmum suo disponere ingenio, regere imperio, & pede sibi in sedem edecumare, non dubitavit. Quæ verò ejus, in isto Universitatis Regno, felicitas? Ad abusum usque. In eam DEUS, Cœlum, Terra, Dies, tota denique rerum natura consensit. Ipsi (loquor cum Apulejo, lib. 9. Metam.) *respondent sidera, gaudent numina, redeunt tempora, serviunt elementa, prosunt flamina, nutriuntur nubila, germinant semina, crescunt germina*. Addam: moventur omnia.

Nec unquam Homo magis in

tanto rerum Ministerio exorbitavit; quàm, postquam Macrocosmum, contra Domini Creatoris voluntatem, vertere cœpisset. Accusatus tantæ Homo est luxuriæ. Et adhuc querela est: ingenii humani imperium, etiam ultra Divinæ Sapientiæ septa, sese porrigere: cœlum Terræ miscere: oraculorum O. M. majestatem protervè ludere, lædere: &, quod criminis summa est, in sua nequam audaciâ sibi adblandiri. Fixit Pythagoras Ignem. Movit Aristarchus Vestam. Deorum jussaconsulta non violavit. Ingenium exercuit. Nullus hîc eos accusat Cleanthes. Ptolemæus, stare Terram, non sine Orbis applausu, censuit. Veriùs docuit: quia Sententiæ ipsius DEUS aurigatus est. Copernicus, in Ptolemaici Systematis contemplatione defatigatus, Medium Pytha-

goraæorum Ignem, ingenii ſui attritu, iterum elicuit: Terram commovit: Terræ habitatores conturbavit, & in ſe invicem concitavit. Quapropter

Varie in iſta diſcurritur turba. Sine mente, ſine gente. Globis certare Partes decreverunt. Certatur. Et, non ſine pulvere. Fortuna, partim ſocius, partim hoſtis eſt. Utriuſq; vultum hic videre licet. Dum enim ardenter pro Foco pugnatur, Archimedes obtruncatur. Necdum turbæ finis. Pars, pulverem ſibi turbatum indignati, ſacratiſſima DEI adyta invadunt. Aſt, quàm turpiter limina ejus calcaverint, quàm furenter inibi ſævierint: abominãda id SS. oraculorum deſolatio oſtendit. Actum eſt. *Venerunt Gentes* (Pythagoræi) *in poſſeſsionem DEI: polluerunt templum ſanctum ejus.* Pſal. 79. v. 1.

Venerunt. Vicerunt. Deum, rationibus ligatum, duxerunt captivum. Væ Prophetis! Sed dolor iste cor superat. Indignamur tandem, quod non Gentes, quod fratres tam indignum facinus perpetrarint. Illibata Scripturæ Sanctæ Virginitas violata est. *Nunquam hocce flagitium in Israel factum est*, Judic. 19. v. 30.

Consurgendum itaque Viris Jehuda, in consilium & reorum castigationem, erat. Surrexi & ego, dicens: *non sum iturus in domum meam; sed oppugnaturus Gibham*, Jud. 20. vers. 8. 9. Oppugnavi rationes. Non autem, quas domi suæ Copernicæi habent; sed quibus DEI Sanctuarium conspurcarunt. Reprehendi ingenii luxuriam & animi ingratitudinē. Copernicæos: quia DEUM Homini dederunt; Hominem verò

Deo

Deo ne promiserunt quidem. Et sanè, cùm S. Spiritus, ex singulari divina clementiâ, se nostræ accommodaverit sæpissimè infirmitati: cur, quæso, illi tam crudeles, Terræ motum non capientium, hominum mentem exagitant, & hypothesi onerant; cum neque illa in Jovis extet tabulis? Cur, DEO injurii, Scripturæ sensum in tantas, dubiæ adhuc opinionis, redigunt angustias? Piandum hoc temeritatis confessione, & correctione, est. Hæc est Rei fabula & Catastrophe ejus.

Vobis autem, *Illustres, Magnifici, Nobiles, Reverende, Spectatissimi Viri*, Examen hocce, meæ erga vos devotionis specimen, esto. In Novi hujusce Anni auspicio Vobis S.trenam offero, utque Vos Trinunus benedictione trena in multam prosequatur lucem,

voveo! Romæ olim hoc tempore ſacra Jovi, O.mnium M.inimo, fiebant. Jano item & Æſculapio, ædes dedicabantur. Ego Veſtro pulvinari impono Orbem. Sed Solis eſtis filii, quibus

——*finxit præcordia Titan*
De meliore luto. Accipite Solem, Vobis famulantem: cujus hic aſſerta habetis jura. Dedicationis cauſam è longinquo arceſſere, haud eſt opus. Appello Vos, *Magnifici & Generoſi*, quorum animus DEO & VIRTUTI ſemper ſacer fuit. Vos, Eccleſiæ DEI nutritii. Vos veræ ardentiſque in Chriſtum fidei exemplar, an munimentum ſitis, ambigo. Germana Majorum in Vos conceſſit virtus. Literas quia coluiſtis, literatos amatis. Vos, facinorum illuſtrium æmuli, non bellantem tantùm, ſed Muſageten quoque imitamini Herculem.

lem. Egregio ſané virtutum eſtis inſtructi ſatellitio. At pietas & veræ Religionis zelus aciem ducunt. Beatioribus jam Eccleſiæ noſtræ ſociis eſſe contigit: utpote, quos munificentiâ veſtrâ, conſilio, autoritate juvatis. Semper benefacitis.

A TE verò, Æqui-& Recti-Conſultiſsime D. Sueve, Hoſpes mi honorande, non minora Wittebergæ tuli beneficia. Hoſpitium gratuitum, benevolentiam in mei promotione ſingularem, & quem non expertus abundé ſum favorem. DEUS Tibi Merces!

TIBI, Nobiliſſime D. NATICI, Viro Eruditorum Promotori, hocce ſpecimine, me commendare volui. Multum & prolixè mihi olim benefeciſti. Benefac porrò, & promove: quia multum apud Sereniſſimum Principem, Dominum meum clementiſſimum, potes.

Vos

Vos quoq; Rev. SCHWETGI, Spectatissime Vir ab UFFELEN, non fautores tantum, sed & Examinis hujus edendi autores, fuistis. Accipite igitur quod voluistis, & prolixè, uti fecistis, porrò mihi favete.

Tui autem nominis fama, Eximie, atque Eruditiss. D. ADOLPHE de WREEDT, Solingo-Montane, suo me excitavit clangore, & TE scripto isthoc appellare, jussit. Fama canit, TE in literarum monumentis, in Mathematicis autem, excellentissimè versatum, &, ad stuporem usque, adhuc versari. Scimus, Te imas Terræ venas; te occultas Naturæ formas, & quas non rerum altitudines, ruspare. Montanus veré es, qui montium scrutaris viscera. In summam hoc Tibi à sera reputabitur posteritate Gloriam. Quæ cum ita sint: meum quoque Tibi libellum mittere

tere constitui: ut vel placidum assensum, vel modestam sui à TE correctionem impetraret. Accipe igitur. Et, cùm tuæ menti scientiarum naturalium apex pervius sit, hoc quoque, ad justissimam SS. Spiritus, & sobriam rationem, examinare Examen velis.

Et te, quem memorem, Erudite atque Eximie BRAUN? Athenis LUGDUNENSIBUS commilitonem. Itineris *Brabandiæ* & Flandriæ Achatem. Ubique Amicum, & fautorem. Hoc igitur gratitudinis habeto quoque Monumentum.

Salvete jam, omnium Ordinum honoratissimi Viri. Deus Vos servet Virtuti vestræ, Regimini vestro, Pietati vestræ. Exempla Nobilitatis, decora Familiæ, fulcra Ecclesiæ, specimina Honestatis. Sospitet Vos cum conjugibus vestris Romanis, & destinata Virtu-

tum & felicitatis veſtræ hærede certâ, prole veſtrâ. VIVITE. VALETE. DEO. ORBI. LONGUM. BONUM. AMEN. Dabam Ultrajecti, Kal. Februar. Anno Salvatotoris. M. DC. LV.

V. V.

Magnif. Gen.

Exc. Rev. Præſt.

Obſervantiſſimus,

M. JOHANNES HERBINIUS.

Ad Cla-

Ad Clarissimum & Præstantissimum,

JOH. HERBINIUM

Liberalium Artium Magistrum, & S. S. Theologiæ Candidatum: doctissimè differentem, Sacra ex Sacris, & Philosophica ex Philosophicis fontibus, statuminanda esse.

STELLA SOPH'ΩΝ, & THEIOSOPHΩΝ, *Spes Magna Lycæi,*
HERBINI, Aonii Deliciumque Chori:
Divino de fonte doces DIVINA probanda,
Ceu Physica ex Physicis, constet ut ordo decens,
Inq; genus generis nusquã ut transcensio fiat.
Approbat id Placitum docta Stagyra tuum.

I. O. M. D.

In Honorem

Pii & Eximii Iuvenis,

D. JOHANNIS HERBINII,

Lib. Artium Magistri: oracula Dei, pro motu Solis & Terræ quiete, inconcussa stare, modestè & nervosè demonstrantis.

TUrbatis Pietas multum est lachrymata capillis,
Astronomos inter, cernens Oracula Jhovæ
San-

Sancta, giganteo quassari turbine crebrò;
Cum tamen æqua satis Mathesi, supposita falsa
Formanti, ut Mundo sua demonstrata reponat.
Non tulit hanc faciem, sacratis doctus in armis,
HERBINIUS, lachrymas tergens & fronte capillos
Componens, medius proclamat vocè sonorâ:
Subsidant animi, socias conjungite dextras!
Alter in alterius messem ne proruat, hostis.
Instabilem Astrologus dicat se volvere terram:
Nec Mathesis valeat solarem ostendere motum
Artis in augmentum, neget haud modo *Sancta* docere
Verba DEI motum, Solis, Terræque quietem.

Amsterdamo, Id. Ianuar.
Anno 1655.

misit

M. FRIDERICUS TATTINGHOF,
Enchusanus, V. D. M.

AD EUNDEM.

LAuro quòd fueris dignus, perdocte Magister,
Alma tuæ posuit fronti Witeberga coronam.

Saxo-

Saxoniam linquens , Batavas appellis in
oras :
Lugduni Aonios coluisti sedulus Hortos;
Iam vis Trajecti Sophiæ tentare palæstram.
Perge DEI laudem sic divulgare per Orbē :
Eusebiæ referes, Rationi Biblia claudas,
Quæ invertit, torquet, sapit ac Oracula con-
tra.
Spiritus omnipotens Tibi munera , crede, re-
pendet ,
Istos posteritas pia laudabitque labores.

JOHANNES ADAMUS HÜNERFANGERUS, Ecclef. Inv. Auguftanæ Confeffionis, quæ Ultrajecti Chrifto colligitur, Ecclefiaftes, & Confiftorii ibidem per vices Præfes.

Eidem.

ASTrologi certant , & adhuc fub judice
LIS eft ,
Sol ne fuum gyrum abfolvat, tellure quieta,
Motibus an rapidis tellus moveatur in or-
bem ?
Aft omnem fcrupulum demunt oracula fa-
cra ,
Quæ SOLI motum tribuunt , Terræque
quietem.
Major habenda fides his, quàm quæ per ra-
tionem
Infringi poffit, variis hinc inde petitis
Ex Logica tricis, & fi quid vilius iftis.
Debetur Laus ergo TIBI , mi docte Ma-
gifter,

HER-

Herbini, Solis motum, Terræque quietem.
Dum monstras dictis Jhovae, fallacia spernens
Fortiter, atque animo valido argumenta Sophistæ.
Perge, velut pergis. Numen benedicet ab Axe
Sicque Viris tandem meritò annumerabere Claris.

Affectus testandi E.

F.

M. Johannes Tatinghoff.
Facult. Philos. in Academ. Wittebergensi
Assessor.

AD AUTHOREM.

Μυρία ΦΟΙΒΟΣ ἔθηκεν ἀχαιοῖς ἄλγε
ἈΠΟΛΛΩΝ.
Πρῶτον ἀπολλύμενος * τ' οὐρῆας καὶ κύνας ἀργούς.
Αὐτὰρ ἔπειτ' αὐτοῖσι βέλος ἐχεπευκὲς ἀφιείς.
Οὕνεκα τὸν χρύσην ἠτίμησ' ἀρητῆρα.
Ἀτρείδης· Οὕτω ἐνόμιζε τὰ ἔθνεα τόσσον,
Δαίμονας χάσαι ἀνθρώποις εἵνεκ' ἀτίμου
Ἄμμες χριστιανοὶ ἴδμεν τὸ γράμμα θεοῖο.
Ὅσγε ἀτιμήσας, ἢ τῷ βίβλῳ ἐπιθήκας,
Ἠὲ ἀφαιρήσας, ἤτοι ἐπὶ πληγὰς θήσει
Πρός μιν ἀπειρεσίας, * καὶ ἀφαιρήσει θεὸς αὐτοῦ
Τοὔνομα τῆς ζωῆς ἀπὸ βίβλου, καὶ περίαψει

Ἴφθ.

* *Hom. Il: α.* * *Apoc: 22. Matth. 10.*

Ἴφθιμον ψυχὴν Ἄϊδι, καὶ σῶμα γεννῆν·
Νῦν ἄρα ΑΣΤΡΟΛΟΓΟΙ διαφθείροντες διάνοιαν
Καὶ νῦν τῆς ἁγίας πίστευσιν· τοῦτο δ' ἔγνω
ΕΡΒΙ'ΝΙΟΣ, διὸ καὶ ὀρθῶς λόγον ἑρμηνεύει,
Ὄφρα θεὸς καὶ ἄνθρωποι οἱ πόλλα βραβεῖα,
Στέμμα τε ἀντὶ πόνων ἐν χερσὶν δοῖεν ἄνακτες·

Οὕτως

Ὁλοψύχως ηὔχεν

Michael Fr. Tatinghoff.
Lib: Art: Mag: S.S. Theol. Stud.

JOANNI HERBINIO,
Philosophiæ Doctori, & SS. Theologiæ Candidato.

S. P. D.

Vir Clarissime.

Tertius excurrit dies, ex quo me suavissimæ tuæ non leviter affecerunt, simul tamen animo suspensum reddiderunt. Materia lætandi erat, quod intelligerem te corpore sanum, animi vigore strenuum, labore indefessum, eximii fætus Parentem brevi fore. Hunc Tu mihi, sed elegantissimo ingenio tuo, parturire hactenus videbaris. Alterum quod me, in his omnibus enixe gaudentem, pendentem consilio fecit, tuum erat desiderium, hoc à me jure amicitiæ flagitans, quod mihi imperare, tibi præstare difficul-

ter

ter potui. Esudasti, (*gratulor*) *cujus multam apud me feceras mentionem, illum tuis studiis & ingenio dignum, librum, de nobilissimo nimirum argumento, cælum an terra moveatur, conscriptum, illumque impræsens in publicum protrudis Egregium & utile. Antequam verò publicam videat lucem, calculum qualemcunque nostrum postulas. At verò altius quam ascendit, amplius quam capit modulus ingeni nostri, à nobis desideras. Nam quis, rogo, illarum rerum expeditas habebit rationes, in quarum spinoso calculo tot magnorum controversa industria hactenus se tam solicitè occupavit; & tamen* --- adhuc sub judice lis est? *Ne verò & amico & veritati injuriam faciam, dicam cum Seneca liberè*: Nondum exhausta est veritas. *Multa equidem & de his reliquorum subtili ingenio, & imprimis tuo, restant. cui amicus quidem Copernicus, amicitior Ptolomæus, sed tamen amicissima Veritas. Et sanè in hoc mihi admodum places, quod ex libro tuo, Scripturæ S. sua immota auctoritas, Philosophiæ sua veritas, maximis Virorum sua dignitas, rei literariæ ingens utilitas, tibi ob laborem debitus honor & laus, laborique tuo sua immortalitas constet. Quod restat, hoc tibi nomine impensè gratulor, precorque ex animo, uti magna Virtus, cujus semper impiger fuisti & adhuc perduras cultor, per hos excellentis ingenii tui motus vigilesque labores, stabilem, pro*

au-

auspicio Novi hujus Anni, (quem integrum Deus benevertat) tibi promoveat fortunam, honorem, amorem: verbo, omnem felicitatem. Plura addere negotia vetant. Vale.

Amicos saluta.

Dab. LUGDUNI-BATAVORUM.

12. Jan. An. 1655. L. de LINDA.

MONSIEUR.

JE confesse que des si belles conceptions, que celles que j'ay treuvé dans ce traité, dont vous m'avez honnoré, meriteroient bien de plus dignes ressentiments, que les miens; mais ma passion ayant esté plus forte, que toutes autres considerations, elle m'a commandé, de vous donner ce petit tesmoignage, de la joye que j'en ressent, m'asseurant, que tout le monde en sera tousjours admirateur, non pas tant toutefois, qu'il se puisse esgaler au desire, que j'ay d'en voir encor d'autre, d'un si bel esprit, qui ne sçauroit rien produire que d'excellent & admirable, ce qui m'oblige de dire, que je suis & seray de plus en plus,

Monsieur,

D'Utrecht ce 24. me Janvier vieux Stil, 1655.

Vostre plushumble, & plus affectionne amis & serviteur.

E. FRIDRICHSEN.

AD

PROOEMIUM AD LECTOREM CANDIDUM,

In quo genuina utriusque Libri Sententia declaratur.

Miraberis, Lector Candide, me, post tot & tantorum Virorum Sententiam, aliquid retractare: inveteratam scil. de Terræ motu controversiam reassumere ausum fuisse. Sed rationes istius propositi mei non leges modò, sed approbabis etiam, Credo. Propositum verò mihi est, Theologo-Philosophicum Dictorum Sacrorum, à Ptolemaicis pro Solis motu & Terræ quiete adductorum, & eorundem Refutationis Examen instituere. Non autem mihi negotî quicquam cū Mathematicis demonstrationibus esse hîc volo. Audiam potius illas. Et, ut libelli hujus, & meam ipsius compendî faciam, & Tu intelligas mentem, aliquas Tibi proponam hypotheses; etiam TE & obnixè orans, ut mihi candidus hîc sis: candidè proponenti patienter & sine præjudicio attendas, legas: candidè deniq; si placuerit, mecū, non disputes, sed conferas potiùs. Præsuppono autem,

1. Astronomiam ejusque Dubia ex Sacris literis probari directè non posse. *Neque*

que hoc unquam Theologi Mathematicos postularunt, ut secundùm Scripturæ phrasin suos Orbes formarent, hypotheses proponerent, Controversias ex eadem, tanquam normâ adæquatâ, deciderent: hoc quippe fieri nequaquam posse, cum Philosophis pronunciant, docentes, Omnem mensuram debere suo mensurato (& sic Normam normato) esse adæquatam, seu convenientem.

2. Spiritum Sanctum parùm esse sollicitum de circumvolutione Terræ, Solis, vel aliorum Orbium; ut qui alii intentus fini & scopo est.

3. Et ideo peccare eos, qui Dubia purè Geometrica ex S. literis vel probare formaliter, vel refutare, conantur.

4. Ex S. Scripturæ pronunciatione tali, neutram probari sententiam, formaliter & directè, posse: hoc est, nec Ptolemaicam, nec Copernicæam.

Dico formaliter, directè, adæquatè, ut infra latiùs explicabitur.

5. Fatendum esse, Spiritum S. in nostrâ rei supra captum, item Mysterii, vel alius obscuræ & apprehensu difficilis rei apprehensione, nobiscum *interdum* balbutire. *Neque id nego: sed solùm quæro: in quibus locis nobiscum balbutiat, & in quibus seriò rem loquatur, nobis etiam difficiliorem?*

6. Me hîc loci Scripturam *Testem*, non autē *Judicem*, agnoscere. *Quocirca Testimonia*

nia hîc Sacra secundùm rei sensum, & potiùs quidem quàm literam, examinanda suscepi.

7. Me hîc loci principia & demonstrationes Mathematicas non tractare, neque negare, neque impugnare: *sed ad Scripturæ loca responsiones examinare, eas urgere, & insufficientiam earundem ostendere.*

8. Theologos (*reduplicativè sumo vocem*) in hac Materia, ex Sanctâ Scripturâ, propter Mathematicas demonstrationes, opinionem habere tantùm posse, & non etiam scientiam. *Et contra*: Mathematicos (*etiam hos reduplicativè intelligo*) in hac Materiâ ex suis demonstrationibus, propter Sanctæ Scripturæ argumenta manifesta, opinionem tantùm & non etiam habere scientiam posse. *In quod Postulatum accuratiùs infra inquiremus.*

9. *Eaque propter*, posse Astronomos Terræ motum formare, concipere, probare: imò eundem Sibi adstruere & defendere: siquidem demonstrationibus suis conducibiliorem & probabiliorem animadvertant. *Sed* Sibi, & *salvâ nihilominus Sancti Spiritus assertione; quam non Mathematicis, adformandos* Sibi *circulos; sed Nobis omnibus, ad contemplandum Opera Domini gloriosa, toties proposuit.*

10. Postulatum Mathematicum præscribere in quæstione Mathematicâ (*quatenus talis & purè talis est*) Scripturæ, facilè

largiri posse; non verò sensui Ipsius derogare. *Sensus erit: cùm Scriptura nulla Mathematicis præscribat concipiendi præcepta; concedi posse videtur, Postulatum Mathematicorum posse in controversiâ Mathematicâ, Scripturæ S. præscribere; modum scilicet considerandi, accipiendi & judicandi controversiam purè Mathematicam, v. g. cum quæritur: An, Terram moveri, Solem Mundi esse centrum, statuere expediat, & magis conducat Mathematico? Huic quæstioni, ut purè Mathematicæ, nihil præscribit Scriptura, cum dicit, Terram in fundamento consolidatam esse. Astronomia tamen, præter Sacras leges, præscribit (dicendum Metaphysicè erat, præscindit) hoc esse affirmandum: De similibus idem esto judicium.*

11. Posse nos Mathematicis, propter faciliorem rei & apprehensionem & institutionem, inhærere: tamdiu tamen, & interea tantùm, dum ex sententiarum collatione certius quiddam colligatur, concludatur.

12. Me non ex præconceptâ Ptolomæi Hypothesi & opinione Examen hocce instituisse: *sed eo fine tantùm, quia insufficientiam Copernicæarum responsionum deprehendi; ut aliam vel meliorem ab iis extorqueamus responsionem: quam, ex collatione multorum & Virorum & Doctissimorum in Mathematicis Disciplinis Juvenum, audire hactenus; sed meum pacare desiderium non potui.*

LI-

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Locus Psalmorum XXIV. verf. 2. & CIV. verf. 5.

IPse super Maria fundavit eam (Terram). & huic parallelum: *Fundavit terram super bases ejus, ne dimoveretur in seculum.* Chaldæus Paraphrastes sic habet: *Quoniam super maria posuit fundamenta ejus & super flumina confirmavit eam* LXX. αὐτὸς ἐπὶ θαλασσῶν ἐθεμελίωσεν αὐτὴν, Psal. 102. dicitur, ἐθεμελίωσας; ubi Chaldæus transfert: *à principio, cum crearentur omnes creaturæ, terram fundasti.*

I. Assumo locum, & cum eo reliqua parallela. Non quidem ad ἀπόδειξιν: quia Sancta Scriptura Mathematicis in quæstione ipsorum, nihil præscribit; & neque ego Controversiæ illi exinde satisfacere volo. Interpretor autem cum Patribus loca: *Deus*, creator. *fundavit*, posuit, firmavit, consolidavit. *Terram*, solidissimam & ponderosissimam; *super maria & flumina*, ambientia & interfluentia terram. *Super bases ejus*, non super maria & flumina: non columnas, quibus inniteretur; sed soliditatem, firmitudinem

tudinem in integritate suâ constantiam; ad instar corporis, alicui fulcimento innixi. Quemadmodum enim illud super basibus & fundamento positum est: ita Terra super soliditate & firmitudine suâ fundata est, *ne dimoveretur in seculum.* Jussit scilicet Præceptor omnipotens à principio, cum crearentur omnes creaturæ, Terram in suo consistere loco, neque ab eo dimoveri (quod quidem vulgus timebat olim, & timet adhuc) in seculum.

II. Quæro jam: Cur in S. literis τὸ *fundari* non de aliis quoque creaturis prædicetur? Resp. Si vel secretissimam adhibeam Cabalam, aliud nihil, quam fundationem Terræ solidam & immobilem hinc colligo. De Sole quippe non dicitur τὸ *fundari*; sed, eum positum esse in rakia, seu expanso, constat. Quem in finem? ut mensuraret & distingueret tempora. Terra verò quem in finem fundata? ne commoveretur in seculum; atque ita commodiorem suâ quiete inhabitantibus se, & super eadem se moventibus, locum præstaret.

III. Dices, cum Clarissimo Gassendo, Instit. Astron. lib. 3. c. 10. p. 204. colligi hinc posse, *non tam in loco consistentiam, quam in integritate constantiam?* Resp. In integritate quidem constantiam ibi innui procul omni est dubio: veruntamen consistentiam in loco non excludi, patet tam ex ratione n. 2. allatâ, quàm

IV.

IV. Ex circumſtantiis, cauſis; & præcipuè finali, quæ eſt, *ne dimoveretur in ſeculum*. Hoc enim de in integritate conſtantiâ intelligi non poſſe, arguit vox baſis; per quam tranſlativè intelligi ſoliditatem & in integritate conſtantiam, quis non videt? Quod ſi phraſis, non dimoveri, idem ſignificare deberet; tautologia, craſſa crambe, & inepta locutio Scripturam deformaret, cùm eo illam ſenſu legerem: fundavit Terram in integritatis conſtantiâ, ut eſſet in integritatis conſtantia. Quod autem Gaſſendus, Vir Magnus & Profeſſor Regius, locum ita explicet; facit hoc ex præconceptâ & præſuppoſitâ hypotheſi: explicationem enim non probavit. Cæſareus quidem Mathematicus eam probavit, ſed non ſufficienter demonſtravit. De quo alibi.

V. Quibus ita præmiſſis, concludo: Ergo ſufficienter Ptolemaicis ad iſta reſponſum non eſt: & ex conſequenti, opinio eorum ſtare adhuc poteſt; niſi melius erudiantur. Et ſanè, æquus hic Lector intercedat & judicet: annon ego ex Locis Scripturæ ſupra poſitis Terræ immobilitatem citiùs: annon certiùs probare poſſem, quàm Dn. Lansbergius Terræ mobilitatem ex 1. Cor. 7: 31. Vide ejuſdem Comm. in Mot. Diurn. Contr. 1. p 4. num. 3. ùt, quia, ſecundum Apoſtolum, figura Terræ præterit: Ergo Terra movetur.

CAPUT II.

Locus Eccles. 1. vers. 5, 6, 7.

BEn. Arias Montanus Paraphrasin Chaldaicam sic interpretatur: *Oritur Sol in die ex latere Orientis, & ingreditur Sol in latus Occidentis in nocte, & ad locum suum anhelat, & ambulat per viam abyssi, & oriturus est cras ex loco, unde ipse ortus est heri.*

Perambulat omne latus Meridiei & redit ad latus Aquilonis via abyssi; gyrat, circuit & ambulat spiritus, & per circuitus suos revertitur spiritus.

I. Adducitur & hic ex S. literis locus à Ptolemaicis; quem Copernicæi illustriores ad nostram restringunt apparentiam. Ausu certè majori, quam jure; quia propter nuper inventam Hypothesin. Sed ad locum.

II. Illud autem, Lectori, indicandum prius est: me, scilicet, loci hujus verba præcedentia, vers. 4. consignata, sponte omittere voluisse. Causam dico: quia nihil exinde, vel pro Ptolemaicis, vel contra Copernicæos, solidi excerpere possum. Ita autem textus vers. 4. sonat: *Generatio præterit, & generatio advenit; terra autem in æternum stat.*

III. Explico. Vanitas vanitatum & omnia Vanitas. Quid tandem habet homo lucri

lucri seu fructus de universo labore suo, quo laborat sub Sole? Generatur homo: generantur animalia? excrescunt plantæ? Generantur certè. At generatio, quæ modò super Terram advenit, iterum præterit & in eadem reconditur, Matre. Terra autem, super quâ omnia ista eunt & prætereunt, in æternum stat: hoc est, sine ulla sui mutatione & præteritione, eadem permanet in seculum Suum, in æternum &c.

IV. Quæ Sacri Textus verba Ptolemaicum in Causa impedient magis, quàm juvabunt. Nihil juvabunt: Hic enim τὸ *stare* opponitur τῷ *præterire*, nec non voci *advenire*. Quod cum ita ex textu irrefragabiliter fluat; verbum *stare* significabit τὸ non præterire, & permanere. Nollem itaque Disputatori, ut hæc opponat, autor esse: quia in ipsius jugulum, quicquid hinc & quocunque modo strinxerit, retorquebitur.

V. Ad nostrum quod attinet locum; eum literaliter accipiendum & explicandum esse, hisce contendo rationibus. Primò: Solem hîc oriri & occidere, secundùm vulgi sensum & apparentiam intelligi non posse, probatur: quia in toto hujusce loci Capite res naturales tractat Rex & Ecclesiastes vers. 4. Generationem naturalem & Corruptionem. vers. 6. Ventos. vers. 7. flumina & mare, eorumque fluxum & refluxum, vers. 8. hominem, quoad partes. vers. 10.

Quòd verò naturalia iſta phyſicè tractet, exinde patet, quod ſe ſapientem Dominum & Regem, verſ. 16. ſcientem Philoſophum, & Phyſicum quidem appellet, verſ. 13. cum dicit: *propoſui in animo meo, quærere & inveſtigare ſapienter de omnibus, quæ fiunt ſub Sole.*

VI. Ita verò phyſica iſta inſtituit, ut ea moralibus mox applicet, cum ex contemplatione corporum naturalium ſuam mentem reflectit ad hominem. Philoſophatur enim: *vidi omnia ſub Sole*: ſcilicet ſpeculativè, contemplativè, quo modo ea vidit etiam Rex Pſaltes Pſal. 8. verſ. 4. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Moraliter. *Quid habet homo de omni labore ſuo, quo laborat ſub Sole? afflictionem ſpiritus.* Denique verſ. 17. 18. Sapientiam, Prudentiam & Scientiam (diſtinctè ſanè & Philoſophicè loquitur) *per accidens*, eſſe Vanitatem dicit; ex eo, quod in his quoque *labor & afflictio ſit Spiritus*: quod *in multâ ſapientiâ multâ ſit indignatio*; &, *qui addit* (auget) *ſcientiam, addit* (auget) *dolorem.*

VII. Ex hiſce præmiſſis argumentari licet: Si Eccleſiaſtes de pluribus corporibus naturalibus propriè, realiter, & ſecundùm naturæ eorum veritatem hîc loci agit; ſequitur illum de altero quoque, puta de Sole, ejuſque ab Ortu in Occaſum motu, propriè, realiter, & ſecundùm naturæ ejus veri-

veritatem agere. At verum esse Antecedens supra probavi. Ergo & Consequens. Negabis connexionem Majoris & Consequentiam? Probo eam. Cum hîc loci Rex & Physicus, post Adamum, sapientissimus de multis naturalibus in specie, verè, & secundùm eorum naturam agat; ratio nulla dari potest, cur de altero solo apparenter tantùm loquatur. De omnibus enim habuit scientiam; & de solo Solis corpore & motu opinionem haberet, & vulgi quidem insulsi? Quæ hæc argumentatio est?

VIII. Secunda ratio est. Qualiter hîc Spiritus S. de venti circuitione loquitur, taliter etiam de Solis gyratione agit. At de venti circuitione physicè, secundùm essentiam & naturam, hic loquitur. Ergo etiam de Solis gyratione physicè, & secundùm ejus essentiam & naturam hîc agit.

IX. Nihil facit, quod hîc loci per Spiritum 1. quidam intelligant Solem, propterea: quia motu & calore suo omnia quasi vivificat. Inde eum animatum esse aliqui putârunt; sicuti ejus opinionis reum facit Origenem Hieronymus in cap.45.Esaiæ. Idem quoque sensisse videtur Isidorus de Natura rerum cap. 27. Thomas Opusc. 10. censet, Solem dici Spiritum, quod Spiritum seu Intelligentiam habeat: non informantem sed assistentem, moventem & dirigentem. In quibus verbis, Thomam per Spiritum

intelligere Angelum qui Soli assistat, eumque volvat, putat Cornelius à Lapide, Comm. in Eccles. cap. 1.

X. Sed obsoletum Peripateticorum figmentum statuere, superstitio: destruere, natura & veritas jubet. Si enim sidera & Planetæ moventur; movebuntur, vel à suis formis & principiis internis, secundùm Cl. Sperlingium, Præceptorem meum plurimùm colendum, Physic. Instit. Lib. 3. cap. 4. q. 6. ubi dicit: *Error errorem trudit, ut cuneus cuneum. Non satis erat orbes introduxisse reales; sed istis quoque adfingendæ fuere Intelligentiæ, velut Ixiones?* vel à materiâ cœlesti, quæ siderea secum rapiat corpora, quæ in suis vorticibus gyrentur, secundùm Nobilissimum, stupendi acuminis & Methodi optimæ Inventorem, Cartesium. Et sic non ab Intelligentiis, aut Angelis movebuntur. Sed hæc ex occasione duntaxat.

XI. Quod igitur hîc loci Ecclesiastes physicè de ventorum circuitione differat, superius n. 5. evictum est. Adjiciam, sed ex abundanti, aliquid. Ecclesiastes fuit prudentissimus in consiliis dandis, felicissimus in sententiis ferendis, sapientissimus etiam in naturæ mysteriis scrutandis: quæ omnia attributa Sacræ ipsi literæ inscribunt. Si sapientissimus, si prudentissimus? Ergo bonus Philosophus: Ergo philosophicè ma-

teriam

teriam philosophicam tractare hîc potuit.

XII. Regeres, multa eum naturalia locutum esse & scripsisse; sed non reduplicativè & physicè, quatenus naturalia: quæ duo distinguo? Resp. Bona est distinctio, &, quam omnes accipiant, dignissima: aliud enim est, tractare naturalia, aliud, tractare naturaliter. At hîc distinctio tua non valebit. Unde, quæso, tibi constat, tantum Physicum & Philosophum, qui omnia contemplatus sub Sole est, nunquam de corpore naturali, quatenus naturale est, locutum esse? Non explicavit se, neque sua, inquies. Respondeo: quare explicaret, quæ perspicuè docuit, & ad captum? Non clariùs & prolixiùs? quî scis id eum non fecisse: libros enim ejus plures bellorum injuria interiisse, Theologi unanimiter docent.

XIII. Nihil hic Clarissimus dicit Wittichius, cum in sua Dissertatione prima, Deum, inquit, libros illos naturales Salomonis interire passum esse, propterea, quia non necessarii vel inutiles nobis ad salutem. Cui enim nobis usui est, scire Genealogiam Esau: mensurationem Terræ Palæstinæ in Tribus duodecim? Quid ad salutem est, Reges, post Salomonem, eorumque vitam & res gestas scire? & tamen interire libros illos, Josue & Regum, Deus passus non est. Inutiles porrò esse non desinunt libri, ad contemplanda Domini opera, & Deum

ex iisdem laudandum; licet inutiles ad salutem consequendam sint. Præterea falsa præsupponitur Hypothesis, nullos, doctrinam salutis etiam continentes & sparsim proponentes, libros periisse. Si Proverbiorum & Ecclesiastici libri periissent; Morales & minùs necessarios periisse libros dixissemus. At ibi sparsim necessaria ad salutem continetur doctrina, v.g. Proverb. 8. ubi per Sapientiam æternam DEI Filius describitur; imò Humanitatis nostræ assumtio vers. 31. innuitur. Libros igitur, nobis salutares, distinguo in eos, qui ex professo & ex scopo doctrinam salutis proponunt; & in eos, qui sparsim, hinc & inde, eam continent. Illos non periisse, confitemur: hos verò periisse, probatum est.

XIV. Tandem argumentor: Qualiter de fluminum origine & regressione hic loci dicitur, taliter etiam de Solis motu: At naturaliter & propriè de fluminum origine & refluxu hic dicitur. E. naturaliter etiam & propriè de Solis motu. Major tamdiu stabit, donec ratio data fuerit in consequentiæ; quæ difficulter dabitur. Minor est Dn. Wittichii, Dissert. I. cap. 1. art. 10. *at in iis rebus, de quibus vulgus per sensus nihil cognovit, adeoque nihil judicat, loqui aliquando ex rei veritate, ut quando Ecclesiastes cap. 1. de fluminum ortu loquitur.* Quam ipsius Hypothesin infra examinabimus.

XV.

XV. Concessis præmissis, concludo. Ergo etiam de Solis ortu & motu naturaliter & verè agit. Nulla quippe dari ratio potest, cur non sequatur argumentatio in Majori. Si enim dixeris, aliter de fluminum, aliter de Solis Ortu & Occasu hic Scripturam loqui: quia de Sole secundùm vulgi opinionem ex sensu loquitur? Respondeo te principium petere; & habebo te: quia aliam non dabis rationem.

XVI. Atque ita, ne in hoc quidem Ecclesiastis loco, Sancti Spiritus hallucinantis ostendere balbutiem Copernicæi possunt.

CAPUT III.

Locus Psalmi XIX. à vers. 1. ad 7.

Ex versione Tremellii.	Chaldaicæ Paraphrasis Translatio.
1. *Magistro Symphonia Psalmus Davidis.*	Qui suspiciunt cœlos, enarrant gloriam Domini, & opera manuum ejus annunciant, qui speculantur in aëra.
2. *Cœli enarrant gloriam Dei fortis; & opus manuum ejus indicat expansum eorum.*	Dies diei indicat verbum, & nox nocti nunciat scientiam.
3. *Dies ad diem eructat sermonem, & nox ad noctem ostendit scientiam.*	Non est verbum murmurationis, & non sunt sermones tumultus, & non audiuntur voces eorum.
4. *Non est sermo, neque verba eis; & sine his intelligitur vox eorum.*	In omnem terram exivit

5 *An*

5. *In totam Terram prodeunte delineatione eorum, simul prodierunt in extremitatem Orbis habitabilis sermones eorum; ex quo Soli disposuit tentorium in eis.*

6. *Nam est, tanquam sponsus prodiens è thalamo suo; lætatur tanquam robustus decursurus viam.*

7. *Ab extremitate cœlorum exortus ejus, & revolutio ejus ad extremitates eorum est: nec est, quod abscondatur à calore ejus.*

vit extensio prospectus eorum, & in fines orbis verba eorum.

Soli posuit tabernaculum suum splendorem in ipsis.

Et ipse manè, sicut sponsus, qui egreditur velut de thalamo suo desiderabili: & in dimidio diei lætabitur ut Gigas, qui pervenit, ut currat in fortitudine viam occasûs sui sub vesperâ.

Ab extremitatibus cœlorum egressus ejus, usque ad latera eorum; & non est, qui se abscondat à fervore ejus.

LXX. Interpr.

Καὶ αὐτὸς ὡς νυμφίος ἐκπορευόμενος ἐκ παστοῦ αὐτοῦ, ἀγαλλιάσεται ὡς γίγας δραμεῖν ὁδὸν.

1. Psalmi hujusce Commentatores in duas scinduntur partes. Prima vult, Psalmum interpretandum mysticè esse de Regno & Personâ Christi; inter quos præcipuus est Augustinus, Tom. VIII. Enarrat. in Psalmos, Psal. 19. lit. D. sic commentans: *Et ipse tanquam Sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas &c. Ipse in Sole posuit tabernaculum, hoc est, ille tanquam Sponsus, cum verbum caro factum est, in utero virginali thalamum invenit: atque inde, naturæ*

naturæ conjunctus humanæ, tanquam de castissimo procedens cubili, humilis misericordiâ infra omnes, fortis Majestate super omnes. Et hanc sententiam Copernicæorum multi urgent, & potissimùm quidem.

II. Secunda pars, Scholam Naturæ & Gratiæ in Psalmo contineri asserit, evincens ratione: quia ibi Opera Domini celebrare Deum dicuntur: objectivè scilicet, respectu nostri, & per nos eadem contemplantes. In hac Sententia sunt, Tremellius & Junius, qui Psalmo huic inscripserunt: *Schola Naturæ & Gratiæ.* Item, Cornelius Jansenius, Episcopus Gandavensis super loc. cit. vers. 5. In Sole posuit tabernaculum: *Inter omnia* inquit, *cælestia corpora nullum æquè Dei Majestatem testatur & glorificat, atque ita* [illegible] *que divi-* [illegible] *tuit suum tabernaculum suamque mansionem. Non enim alibi gloriam Majestatis suæ gloriosiùs & clariùs spectandam exhibuit, quàm in Sole præ aliis maximè glorioso &c. Ex hoc quasi è Regiâ suâ omnia supera & infera mirabiliter regit, cum Sol sit omnium reliquorum siderum Dux & luminis eorum fons, cunctarum verò caducarum rerum salus & conservatio.* Plures allegare, plus otii, quàm negotii, & forsitan plurimum vitii esset.

III. Ne autem Viros de re Ecclesiasticâ benè

CAPUT II.

Locus Eccles. 1. vers. 5, 6, 7.

BEn. Arias Montanus Paraphrasin Chaldaicam sic interpretatur: *Oritur Sol in die ex latere Orientis, & ingreditur Sol in latus Occidentis in nocte, & ad locum suum anhelat, & ambulat per viam abyssi, & oriturus est cras ex loco, unde ipse ortus est heri.*

Perambulat omne latus Meridiei & redit ad latus Aquilonis viâ abyssi; gyrat, circuit & ambulat spiritus, & per circuitus suos revertitur spiritus.

I. Adducitur & hic ex S. literis locus à Ptolemaicis; quem Copernicæi illustriores ad nostram restringunt apparentiam. Ausu certè majori, quam jure; quia propter nuper inventam Hypothesin. Sed ad locum.

II. Illud autem, Lectori, indicandum prius est: me, scilicet, loci hujus verba præcedentia, vers. 4. consignata, sponte omittere voluisse. Causam dico: quia nihil exinde, vel pro Ptolemaicis, vel contra Copernicæos, solidi excerpere possum. Ita autem textus vers. 4. sonat: *Generatio præterit, & generatio advenit; terra autem in æternum stat.*

III. Explico. Vanitas vanitatum & omnia Vanitas. Quid tandem habet homo lucri

lucri seu fructus de universo labore suo, quo laborat sub Sole? Generatur homo: generantur animalia? excrescunt plantæ? Generantur certè. At generatio, quæ modò super Terram advenit, iterum præterit & in eadem reconditur, Matre. Terra autem, super quâ omnia ista eunt & prætereunt, in æternum stat: hoc est, sine ulla sui mutatione & præteritione, eadem permanet in seculum SUUM, in æternum &c.

IV. Quæ Sacri Textus verba Ptolemaicum in Causa impedient magis, quàm juvabunt. Nihil juvabunt: Hic enim τὸ *stare* opponitur τῷ *præterire*, nec non voci *advenire*. Quod cum ita ex textu irrefragabiliter fluat; verbum *stare* significabit τὸ non præterire, & permanere. Nollem itaque Disputatori, ut hæc opponat, autor esse: quia in ipsius jugulum, quicquid hinc & quocunque modo strinxerit, retorquebitur.

V. Ad nostrum quod attinet locum; eum literaliter accipiendum & explicandum esse, hisce contendo rationibus. Primò: Solem hîc oriri & occidere, secundùm vulgi sensum & apparentiam intelligi non posse, probatur: quia in toto hujusce loci Capite res naturales tractat Rex & Ecclesiastes vers. 4. Generationem naturalem & Corruptionem. vers. 6. Ventos. vers. 7. flumina & mare, eorumque fluxum & refluxum, vers. 8. hominem, quoad partes. vers. 10.

Quòd verò naturalia iſta phyſicè tractet, exinde patet, quod ſe ſapientem Dominum & Regem, verſ. 16. ſcientem Philoſophum, & Phyſicum quidem appellet, verſ. 13. cum dicit: *propoſui in animo meo, quærere & inveſtigare ſapienter de omnibus, quæ fiunt ſub Sole.*

VI. Ita verò phyſica iſta inſtituit, ut ea moralibus mox applicet, cum ex contemplatione corporum naturalium ſuam mentem reflectit ad hominem. Philoſophatur enim: *vidi omnia ſub Sole*: ſcilicet ſpeculativè, contemplativè, quo modo ea vidit etiam Rex Pſaltes Pſal. 8. verſ. 4. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Moraliter. *Quid habet homo de omni labore ſuo, quo laborat ſub Sole? afflictionem ſpiritus.* Denique verſ. 17. 18. Sapientiam, Prudentiam & Scientiam(diſtinctè ſanè & Philoſophicè loquitur) *per accidens*, eſſe Vanitatem dicit; ex eo, quod in his quoque *labor & afflictio ſit Spiritus*: quod *in multâ ſapientiâ multâ ſit indignatio*; &, *qui addit* (auget) *ſcientiam, addit* (auget) *dolorem.*

VII. Ex hiſce præmiſſis argumentari licet: Si Eccleſiaſtes de pluribus corporibus naturalibus propriè, realiter, & ſecundùm naturæ eorum veritatem hîc loci agit; ſequitur illum de altero quoque, puta de Sole, ejuſque ab Ortu in Occaſum motu, propriè, realiter, & ſecundùm naturæ ejus veri-

veritatem agere. At verum esse Antecedens supra probavi. Ergo & Consequens. Negabis connexionem Majoris & Consequentiam? Probo eam. Cum hîc loci Rex & Physicus, post Adamum, sapientissimus de multis naturalibus in specie, verè, & secundùm eorum naturam agat; ratio nulla dari potest, cur de altero solo apparenter tantùm loquatur. De omnibus enim habuit scientiam; & de solo Solis corpore & motu opinionem haberet, & vulgi quidem insulsi? Quæ hæc argumentatio est?

VIII. Secunda ratio est. Qualiter hîc Spiritus S. de venti circuitione loquitur, taliter etiam de Solis gyratione agit. At de venti circuitione physicè, secundùm essentiam & naturam, hic loquitur. Ergo etiam de Solis gyratione physicè, & secundùm ejus essentiam & naturam hîc agit.

IX. Nihil facit, quod hîc loci per Spiritum 1. quidam intelligant Solem, propterea: quia motu & calore suo omnia quasi vivificat. Inde eum animatum esse aliqui putârunt; sicuti ejus opinionis reum facit Origenem Hieronymus in cap.45.Esaiæ. Idem quoque sensisse videtur Isidorus de Natura rerum cap. 27. Thomas Opusc. 10. censet, Solem dici Spiritum, quod Spiritum seu Intelligentiam habeat: non informantem sed assistentem, moventem & dirigentem. In quibus verbis, Thomam per Spiritum

intelligere Angelum qui Soli assistat, eumque volvat, putat Cornelius à Lapide, Comm. in Eccles. cap. 1.

X. Sed obsoletum Peripateticorum figmentum statuere, superstitio: destruere, natura & veritas jubet. Si enim sidera & Planetæ moventur; movebuntur, vel à suis formis & principiis internis, secundùm Cl. Sperlingium, Præceptorem meum plurimùm colendum, Physic. Instit. Lib. 3. cap. 4. q. 6. ubi dicit: *Error errorem trudit, ut cuneus cuneum. Non satis erat orbes introduxisse reales; sed istis quoque adfingendæ fuere Intelligentiæ, velut Ixiones?* vel à materiâ cœlesti, quæ siderea secum rapiat corpora, quæ in suis vorticibus gyrentur, secundùm Nobilissimum, stupendi acuminis & Methodi optimæ Inventorem, Cartesium. Et sic non ab Intelligentiis, aut Angelis movebuntur. Sed hæc ex occasione duntaxat.

XI. Quod igitur hîc loci Ecclesiastes physicè de ventorum circuitione disserat, superius n. 5. evictum est. Adjiciam, sed ex abundanti, aliquid. Ecclesiastes fuit prudentissimus in consiliis dandis, felicissimus in sententiis ferendis, sapientissimus etiam in naturæ mysteriis scrutandis: quæ omnia attributa Sacræ ipsi literæ inscribunt. Si sapientissimus, si prudentissimns? Ergo bonus Philosophus: Ergo philosophicè materiam.

teriam philoſophicam tractare hîc potuit.

XII. Regeres, multa eum naturalia locutum eſſe & ſcripſiſſe; ſed non reduplicativè & phyſicè, quatenus naturalia: quæ duo diſtinguo? Reſp. Bona eſt diſtinctio, &, quam omnes accipiant, digniſſima: aliud enim eſt, tractare naturalia, aliud, tractare naturaliter. At hîc diſtinctio tua non valebit. Unde, quæſo, tibi conſtat, tantum Phyſicum & Philoſophum, qui omnia contemplatus ſub Sole eſt, nunquam de corpore naturali, quatenus naturale eſt, locutum eſſe? Non explicavit ſe, neque ſua, inquies. Reſpondeo: quare explicaret, quæ perſpicuè docuit, & ad captum? Non clariùs & prolixiùs? quî ſcis id eum non feciſſe: libros enim ejus plures bellorum injuria interiiſſe, Theologi unanimiter docent.

XIII. Nihil hic Clariſſimus dicit Wittichius, cum in ſua Diſſertatione prima, Deum, inquit, libros illos naturales Salomonis interire paſſum eſſe, propterea, quia non neceſſarii vel inutiles nobis ad ſalutem. Cui enim nobis uſui eſt, ſcire Genealogiam Eſau: menſurationem Terræ Palæſtinæ in Tribus duodecim? Quid ad ſalutem eſt, Reges, poſt Salomonem, eorumque vitam & res geſtas ſcire? & tamen interire libros illos, Joſue & Regum, Deus paſſus non eſt. Inutiles porrò eſſe non deſinunt libri, ad contemplanda Domini opera, & Deum

ex iisdem laudandum; licet inutiles ad salutem consequendam sint. Præterea falsa præsupponitur Hypothesis, nullos, doctrinam salutis etiam continentes & sparsim proponentes, libros periisse. Si Proverbiorum & Ecclesiastici libri periissent; Morales & minùs necessarios periisse libros dixissemus. At ibi sparsim necessaria ad salutem continetur doctrina, v.g. Proverb. 8. ubi per Sapientiam æternam DEI Filius describitur; imò Humanitatis nostræ assumtio vers. 31. innuitur. Libros igitur, nobis salutares, distinguo in eos, qui ex professo & ex scopo doctrinam salutis proponunt; & in eos, qui sparsim, hinc & inde, eam continent. Illos non periisse, confitemur: hos verò periisse, probatum est.

XIV. Tandem argumentor: Qualiter de fluminum origine & regressione hîc loci dicitur, taliter etiam de Solis motu: At naturaliter & propriè de fluminum origine & refluxu hic dicitur. E. naturaliter etiam & propriè de Solis motu. Major tamdiu stabit, donec ratio data fuerit inconsequentiæ; quæ difficulter dabitur. Minor est Dn. Wittichii, Differt. I. cap. 1. art. 10. *at in iis rebus, de quibus vulgus per sensus nihil cognovit, adeoque nihil judicat, loqui aliquando ex rei veritate, ut quando Ecclesiastes cap.* 1. *de fluminum ortu loquitur.* Quam ipsius Hypothesin infra examinabimus.

XV.

XV. Concessis præmissis, concludo. Ergo etiam de Solis ortu & motu naturaliter & verè agit. Nulla quippe dari ratio potest, cur non sequatur argumentatio in Majori. Si enim dixeris, aliter de fluminum, aliter de Solis Ortu & Occasu hic Scripturam loqui: quia de Sole secundùm vulgi opinionem ex sensu loquitur? Respondeo te principium petere; & habebo te: quia aliam non dabis rationem.

X V I. Atque ita, ne in hoc quidem Ecclesiastis loco, Sancti Spiritus hallucinantis ostendere balbutiem Copernicæi possunt.

CAPUT III.

Locus Psalmi XIX. à vers. 1. ad 7.

Ex versione Tremellii.

1. *Magistro Symphonia Psalmus Davidis.*

2. *Cœli enarrant gloriam Dei fortis; & opus manuum ejus indicat expansum eorum.*

3. *Dies ad diem eructat sermonem, & nox ad noctem ostendit scientiam.*

4 *Non est sermo, neque verba eis; & sine his intelligitur vox eorum.*

5 In

Chaldaicæ Paraphrasis Translatio.

Qui suspiciunt cœlos, enarrant gloriam Domini, & opera manuum ejus annunciant, qui speculantur in aëra.

Dies diei indicat verbum, & nox nocti nunciat scientiam.

Non est verbum murmurationis, & non sunt sermones tumultus, & non audiuntur voces eorum.

In omnem terram exivit

5. In totam Terram prodeunte delineatione eorum, simul prodierunt in extremitatem Orbis habitabilis sermones eorum; ex quo Soli dispofuit tentorium in eis.

6. Nam est, tanquam sponsus prodiens è thalamo suo; lætatur tanquam robustus decursurus viam.

7. Ab extremitate cælorum exortus ejus, & revolutio ejus ad extremitates eorum est: nec est, quod abscondatur à calore ejus.

vit extensio prospectus eorum, & in fines orbis verba eorum.

Soli posuit tabernaculum suum splendorem in ipsis.

Et ipse manè, sicut sponsus, qui egreditur velut de thalamo suo desiderabili: & in dimidio diei lætabitur ut Gigas, qui pervenit, ut currat in fortitudine viam occasûs sui sub vesperâ.

Ab extremitatibus cælorum egressus ejus, usque ad latera eorum; & non est, qui se abscondat à fervore ejus.

LXX. Interpr.

Καὶ αὐτὸς ὡς νυμφίος ἐκπορευόμενος ἐκ παστοῦ αὐτοῦ, ἀγαλλιάσεται ὡς γίγας δραμεῖν ὁδόν.

1. Psalmi hujusce Commentatores in duas scinduntur partes. Prima vult, Psalmum interpretandum mysticè esse de Regno & Personâ Christi; inter quos præcipuus est Augustinus, Tom. VIII. Enarrat. in Psalmos, Psal. 19. lit. D. sic commentans: *Et ipse tanquam Sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas &c. Ipse in Sole posuit tabernaculum, hoc est, ille tanquam Sponsus, cum verbum caro factum est, in utero virginali thalamum invenit: atque inde, naturæ*

naturæ conjunctus humanæ, tanquam de castissimo procedens cubili, humilis misericordiâ infra omnes, fortis Majestate super omnes. Et hanc sententiam Copernicæorum multi urgent, & potissimùm quidem.

II. Secunda pars, Scholam Naturæ & Gratiæ in Psalmo contineri asserit, evincens ratione: quia ibi Opera Domini celebrare Deum dicuntur: objectivè scilicet, respectu nostri, & per nos eadem contemplantes. In hac Sententia sunt, Tremellius & Junius, qui Psalmo huic inscripserunt: *Schola Naturæ & Gratiæ.* Item, Cornelius Jansenius, Episcopus Gandavensis super loc. cit. vers. 5. In Sole posuit tabernaculum: *Inter omnia inquit, cælestia corpora nullum æquè Dei Majestatem testatur & glorificat, atque [illegible] divi- [illegible] tuit suum tabernaculum suamque mansionem. Non enim alibi gloriam Majestatis suæ gloriosiùs & clariùs spectandam exhibuit, quàm in Sole præ aliis maximè glorioso &c. Ex hoc quasi è Regiâ suâ omnia supera & infera mirabiliter regit, cum Sol sit omnium reliquorum siderum Dux & luminis eorum fons, cunctarum verò caducarum rerum salus & conservatio.* Plures allegare, plus otii, quàm negotii, & forsitan plurimum vitii esset.

III. Ne autem Viros de re Ecclesiasticâ benè

benè meritos inter ſe committamus, intercedendum illis erit. Uterque graviter concionatur. Auguſtinus, piè & devotè: Janſenius & Tremellius cum Junio, acutè. Nihilominus uterque verè. Intercedamus eis. Dico autem, utramque Explicationem hic *ſuum* habere locum poſſe: quia vera quævis eſt, veritate mutuatâ.

IV. Vera eſt Sententia Tremellii cum Junio, & Janſenii; qui Pſalmum, quomodo creata cuncta Deum Creatorem laudent, & homo peccator Deum colat, deſcribere volunt. Probatur ex collatione textus cum Chaldaicâ Paraphraſi: ubi 1. dicitur, homines, *qui ſuſpiciunt cælos, enarrare gloriam DEI; & eos opera Domini annunciare, qui ſpeculantur aëra.* 2. Memorabilis verſus quarti eſt expoſitio: *Non eſt verbum murmurationis; & non ſunt ſermo[illegible]multus; & non audiuntur voces eorum.* Quid eſt verbum murmurationis? quid ſermones tumultus? Murmurat Mare tremendam Dei Majeſtatem: Tumultuantur Venti Omnipotentiam ſtupendam: clamant voces Cœli & Terræ ſapientiam immenſam. *Et non audiuntur voces eorum*: quia tacitè Deum loquuntur: tacitè immenſa ejuſdem attributa concionantur,

Præſentemque refert quælibet herba Deum.

V. Vera quoque eſt Myſtica Auguſtini

&

& aliorum piorum sententia; sed certo modo. Applicativè ad Orbem seu Regnum spirituale & gratiosum, in quo Christus, Rex Sionis, SOL Justitiæ habitet, ambulet, & oriatur. Qui, tanquam Sponsus procedens de castissimæ Virginis utero, exultavit ut Gigas δραμμεῖν ὁδὸν, currere viam Terræ, viam laborum, viam mortis & Passionis, viam salutis nostræ. Quam ut curreret, perruptis cœlis, ad nos *Oriens ex alto* Luc. 1: 78. descendit. Exantlatâque cursus hujus periodo, ascendendo ad Patrem suum, Deum & Patrem nostrum, quasi occidit; ut nobis quotidie Lucifer in cordibus nostris oriretur.

VI. Utramque igitur recipiendam exegesin censeo. Alteram naturalem, tanquam Propositionem: alteram Mysticam, tanquam Applicationem; id quod jam latiùs, & ex fundamento, ostendemus. Atquè ita, in Psalmo contineri Scholam Naturæ & Gratiæ, rectè dixerunt Junius & Tremellius.

VII. Addo ego, Scholam Legis: ut ita ibi instituatur à Rege Propheta. (1.) *Collegium Physicum*, de Cœlo, Elementis & Planetis, cum Creaturis, à vers. 2. ad 7. (2.) *Collegium Mosaicum*, de Lege & timore Dei, cum pueris Israël, vers. 8. 9. 10. 11. 12. (3.) *Collegium Theologicum*, de Pœnitentiâ & gratuitâ peccatorum remissione, vers. 13. 14. & Nova Obedientiâ vers. 15.

Sed

Sed ad Examen Noſtrum properandum.

VIII. Quod in altercatione, Ptolemaicos inter & Copernicæos, familiam ducit, locus Pſalmi noſtri eſt verſ. 6. *Tanquam Sponſus procedens de Thalamo ſuo, lætatur, tanquam Gigas* (robuſtus) *decurſurus viam.*

IX. In quo ſacratiſſimi Spiritus effato, noto 1. coordinationem & Syntaxin Grammaticam. De Sole quippe iſta eſſe dicta patet: quia Relativum Pronomen, QUI, conſentit cum Antecedente Subſtantivo, caſu tantùm diverſo, τῷ SOLI, ſcilicet ut ita conſtruatur: diſpoſuit tabernaculum Soli, qui tanquam Sponſus exultat, &c.

X. Noto 2. Amplificationem ſexti hujuſce verſus eſſe à Comparatis: in Quantitate quidem voces, Gigas & currit; in Qualitate, vox Sponſus oſtendit.

XI. Noto 3. Comparationem hanc implicitam ſeu contractam eſſe. Quæ, ut eò meliùs apprehendatur, explicanda cuilibet ad oculum eſt.

XII. Locutionem, in loco citato, comparatam eſſe & Similitudinem dixi. Jam 4. in omni Similitudine duo tantùm eſſe debent conſtitutiva membra: *Res* ipſa, & *rei Accommodatio*; quæ Ramei & nos Protaſin & Apodoſin vocamus.

XIII. 5. Alterutrum eorum nativam, alterum applicativam habet ſignificationem.

6. Utra-

6. Utraque vera in re: non enim falsa & contraria (nisi in genere, materialiter) comparantur: diversa in modo esse. jure & ex naturâ Comparatorum, debent.

XIV. Assumamus Simile. Quemadmodum Sponsus egreditur de cubili suo (πρότασις): ita Sol à finibus Terræ ortus, iterum in thalamum ejusdem (Terræ) se recondit, (ἀπόδοσις). Explicitè sic, expressè & perfectè similitudo proponitur, cujus

XV. Similitudinis singula expendenda sunt membra. Et primum quidem, Comparationis subjecta duo: *Sponsum*, qui est Terminus Protaseos; & *Solem*, qui terminus est Apodoseos. 2. Fundamentum seu scopus Comparationis, quæ est res ipsa, quæ comparatur. Est autem, Solis cursûs per Sponsi egressum illustris probatio: ille namque in utroque intenditur termino, seu subjecto. Scopus, inquam, est: non Spiritus Sancti, qui spiritualis esse potest; sed Similitudinis, qui naturalis est. Ambo subjecta seu termini, *Sponsus & Sol*, in eodem conveniunt & uniuntur termino: ut, cum dico:

Quemadmodum Sponsus de cubili suo:	*procedunt,*
Ita Sol ab Ortu in Occasum	*egrediuntur.*

XVI. Aut igitur in Psalmo Similitudo vera est: aut nulla est. Atqui veram ibi esse simi-



detur senex in Throno excelso,& intelligitur Deus, cui millia millium ministrabant, & decies centena millium assistebant ei. Ubi falsitas nulla est in visione rei ; sed in modo visionis, qui fuit Oeconomiæ divinæ. Visus verè est Spiritus Sanctus; sed in specie columbæ. Verè ètiam Deus est visus; sed in forma senis, tanquam antiquus dierum 3. *Limitativa veri* est, quæ limitat, determinat & modificat verum; ostendens, quomodo sese habeat, ut, cum dico : sicuti homo currit : ita Sol. In hoc Simili determinatur mihi Solis motus, quod nimirum non sit proprius, nativus & organicus cursus. Verumtamen motum, à termino Quo ad terminum QUEM, ideo non amittit : ut qui in Comparatione hac non tollitur ; sed determinatur. Si verò quidpiam tollitur : tum certè modus,qui cursus est organicus, tollitur; non verò motus ipse.

XX. Et sic distinctos Similitudinis modos consideravimus. Ad quamcunque Distinctionis hujus rationem Simile Psalmi retuleris, nuspiam evades. Si ad primam & ultimam? teneris. Si ad secundam? negativa hæc comparatio in isto erit Simili; & negabitur de Sole, quod in eo conferri cum alio debebat. Quid autem? Non illud ipsum, QUOD determinatur : quod est motus; sed illud ipsum, QUO determinatur: modus scilicet & ratio motus Solaris, id est, cursus.

curſus hîc negatur. Atque ita inſufficientiam Reſponſionis Copernicæorum oſtendi.

XXI. Obſervo præterea: quòd S. Spiritus ibidem loci Solem appellet Gigantem. Quæro, an ratione molis, an virtutis? Utrumque in illo excellere videmus. Ratione *Molis* tantùm, dices, quia magnitudinis inſignis eſt? Dico etiam: ſi ratione molis Sol appellaretur Gigas, utique ſcopus Comparationis & fundamentum ejuſdem, atque ita ipſa Comparatio tolleretur: repugnat enim.

XXII. *Virtutis* ergo ratione Gigas dicitur & robuſtus; quam Virtutem nobis in Gigante iſto ſpectandam & ad miraculum proponit Spiritus S. Facit mecum Gandavenſis l. c. commentans: *Jam quanta*, inquit, *ejus in conficiendo ſuo motu pernicitas? Ipſe enim, quaſi potentiſſimus aliquis Gigas, promptus eſt & expeditus, poſtquam exortus eſt ad abſolvendum ſummâ cum celeritate ſpatium illi præſcriptum*, &c. A ſummo cœlo, *id eſt*, ab alterâ cœli extremitate manè egreditur. Quem Virum inſignem non rei probandæ, ſed conteſtandæ tantùm gratiâ adduxi: rationibus enim hîc agendum eſſe & ſcio, & ideo argumentor:

XXIII. Quicquid ſpectandum nobis hîc loci Spiritus Sanctus & admirandum proponit: illud Soli propriè & realiter competit,

 Atqui

Atqui Motum ejusdem ab Ortu in Occasum spectandum nobis Spiritus S. & admirandum proponit. Ergo Motus Soli, ab Ortu in Occasum, propriè & realiter competit.

Syllogismus non ex Bocardo, nec Ferison conflatus: sed qui ad captum, sine difficultate, vel Idiotis esset, ex Darii formatus est. Major vera est: quia, negatâ eadem, Spiritus S. ludificare nos diceretur. Taceo, mendacii argueretur. Ludibrium quippe Politicum est, rem alicui apparenter, & pro formâ tantùm mirabilem, pro re verè tali, mirabili & stupendâ venditare; fumum, dixissem, vendere. Quod vel cogitare, piaculum est, in nullis aris expiandum.

XXIV. Sed, ad captum ista & opinionem vulgi dicta, volunt Copernicæi: quia apparenter Solem currere videbant plebeji, ideoque ad apparentiam illam S. se accommodasse Spiritum, docentes. Resp. Nulla hîc (tantorum Virorum pace dixerim) apparentia, vel subintelligitur. Evinco. Nullius veræ Comparationis Terminorum tertium est intentionale, atque ita falsum; sed verum & reale: Sed hic & hæc Comparatio vera & legitima est: Ergo ejus terminorum tertium non intentionale, apparens, & sic falsum; sed verum & reale est.

XXV. Assumo nostrum. Ut Sponsus & Cursor fortis se ad cursum suum habent: ita

ita Sol ad motum ſuum. At curſor & Sponſus ſe habent ad motum realiter. Nulla hîc apparentia, nulla ad opinionem accommodatio eſt: quia Solem organicè currere non videmus. E. veritas & realitas motûs Solaris hîc, ceu tertium (barbarè loquor) ultimatum Similitudinis eſt, & comparatur greſſibus humanis, Sponſi & curſoris currentis. Regeres: & motum hîc ad ſenſum dici? Reſp. Jam igitur Comparatio ſublata ſic eſt: ſequitur enim; Ergo motus falſus comparatur motui vero. At hæc propter hodie Rhetor vapulabit, ſi ita comparaverit. Tropus enim non implicat mendacium.

XXVI. Aliter. Similitudo quatuor habet terminos, qui tali ſeſe afficiunt proportione: ut, ſicuti ſe habet primus ad ſecundum, ita tertius ad quartum. Applico 1. Sicut ſe Sponſus habet ad gloriam ſuam: ita Sol oriens ad pulchritudinem ſuam. 2. Uti ſe habet Gigas ad curſum ſuum: ita Sol ad motum ſuum. Modus tantùm Motûs, qui eſt curſus organicus, Soli detrahitur.

XXVII. Decido. 1. Ergo Spiritus S. ſivè Oratorem, ſive Prophetam, ſive Phyſicum agat, ſeriò hic & ſecundùm rei eſſentiam loquitur. Secundum rei, inquam, eſſentiam, & non captus noſtri imbecillitatem: non, quod nobis videtur; ſed, quod cum ſtupore noſtro in rei eſt veritate, proponit. 2. Ergo Spiritus S. hîc nobiſcum

non balbutit; & per consequens, 3. Ergo Scriptura Psalmi hujus per balbutiem falsò interpretatur. 4. Ergo nondum Ptolemaicis satis hîc à Copernicæis factum est.

CAPUT IV.

Locus extat in Ijobo cap. IX. à vers. 5. ad usque 10.

Nova, ex Hebræa Translat.

Fr. VATABLI. Lectio.

5. *QUi transfert montes, & non agnoscunt, quis subverterit eos furore suo.*

6. *Qui dimovet Terram de loco suo, & columnæ ejus contremiscunt.*

7. *Qui dicit Soli, & non oritur; stellas quoque signat.*

8. *Qui extendit cælos solus, & ambulat super excelsa maris.*

9. *Qui facit Arcturum, Oriona & Plejadas, & penetralia Austri.*

10. *Qui facit magna, eque imperveſtigabilia, & mirabilia absque numero.*

LXX. Interpr.

QUi in vetustatem perducit montes & nesciunt, qui vertit nos in irâ.

Qui commovet eam, quæ sub cœlo à fundamentis, & columnæ ejus quatiuntur.

Qui dicit Soli, & non oritur: contra Sydera autem signaculum ponit.

Qui extendit cœlum solus, & ambulat super mare, tanquam pavimentum.

Qui facit Plejada, & Hesperum, & Arcturum, & penetralia Austri.

Qui facit magna & non vestigabilia, gloriosaque & mirabilia, quorum non est numerus.

Ex

Ex Chaldeæ Paraphraseos Translatione.

5. *QUi transfert Reges, qui stant in montibus, & nesciunt, quod subverterit eos in irâ suâ.*

6. *Qui commovet terram de loco suo & columnæ ejus concutiuntur.*

7. *Qui dicit ad Solem, & non oritur, & stellas sigillat nubibus.*

8. *Qui extendit cælos solus & deambulat per altitudinem fortitudinis maris.*

9. *Qui fecit Arcturum, Oriona, & Hyadas, & cubicula syderum, constellationem Planetarum in latere Australi.*

10. *Qui facit magnalia, ita ut non sit finis; & mirabilia, ita ut non sit numerus.*

I. Ad hunc Locum Didacus Astunica Salmanticensis, Comment. in Hiobum, Toleti Anno 1548. editus, hæc apponit: *Nullus*, inquit, *dabitur Scripturæ locus, qui tam apertè dicat, terram non moveri, quàm hic moveri.*

II. Eadem adducit verba Lipstorpius, in Copernico Redivivo c. 8. n. 16. quæ adeò approbat, ut, iisdem glorians, triumphatos jam Ptolemaicos ferè non dicat, & receptui canat. Quocirca Copernicææ & suæ sententiæ plurimos, & insigniores quidem, Patronos, Joh. Keplerum, Lansbergium,

Foscarinum (cum quibus meam quoque conferre sententiam constitui) Crügerum, Campanellam pro Galilæo Galilæi, Gassendum, & alios. Qui omnes honorandi potiùs mihi, quàm examinandi, erant. Quia tamen toties, & tam graviter adducuntur; expendenda etiam erunt illa, quæ ab iis edicuntur, Veritati in gratiam. Sed alibi.

III. Solam Didaci Astunicæ exegesin, & verba quidem adducta, assumo. *Nullus*, inquit, *dabitur Scripturæ locus, qui tam apertè dicat Terram non moveri, quàm hic moveri dicit.* Noto autem in eâ, primò; Hypothesin falsam præsupponi; quod nimirum literalis Scripturæ assertio sensuali præpolleat. Cum constans sit omnium, & arbitror sine exceptione, Theologorum sententia; multa in S. Scripturis esse, quæ non dicuntur, *literaliter*; esse tamen *sensualiter*. Et contra: multa ibidem dici (sano sensu) *literaliter*, quæ non sunt *sensualiter*.

IV. Sensualem autem prævalere Scripturam, probo: 1. quia literalis puram tantùm rei & putam adfert authoritatem; sensualis verò rem ipsam, & demonstrationem ejus. 2. Quia literalis Scriptura adhuc ex sensuali judicanda est: partim collativè, cum aliis Scripturæ locis: partim intuitivè ad scopum: partim etiam applicativè ad Analogiam fidei. 3. Quia sensus literæ est vis,

est

eſt vita, literæ: litera quippe materialiter, & ſic nudè accepta, mortua eſt; accepta verò formaliter, & ſic cum ſenſu, vivit, & rem enucleat. 4. Quia notius ignoto eſt nobilius: jam verò textus ſenſualis notior literali eſt, utpote, qui ſæpiſſimè homonymicus, & errorum tot in orbe genitor exiſtit: non ſubjectivè, in ſe; ſed objectivè, in nobis, qui ferrum ignitum utriſque apprehendimus manibus. 5. Tacebo, Proteſtantium & Pontificiorum Theologorum conſenſum: quia hæc ὡς ἐν παρόδῳ, & ex occaſione Hypotheſis præſuppoſitæ, dicta volui.

V. His ita præmiſſis concludo: 1. Ergo Scriptura ſenſualis prævalet literali; & per conſequens, 2. Ergo Didacus in vanum gloriatur, *nullum dari ex S. Scripturis locum, qui tam apertè dicat, terram non moveri, quam alibi moveri dicit*: ſi enim maximè non daretur, non tamen ideo falſum eſſet; quamquam, plurima talia dari, obvium cuivis & cognitum ſit.

VI. 3. Et, cùm eruditis, ad evincendam rem, bona ſufficiat conſequentia; demirari ſatis non poſſum, quomodo Autor præfatus in literâ tantoperè auſus gloriari fuerit? 4. Et puerorum forſitan erit, & vulgi ſine ſale, gloriari in Scripturæ litera. In quam ſi fortè incauti inciderunt, mox in admirationem rapiuntur: rapti, etiam le-

ctum

ctum rapiunt secum verbum; literas potiùs quàm sensum ostentantes.

VII. Dabo Exemplum. Legerat quidam tralatitium illud, 1. Sam. 10. v. 11. *Num & Saul inter Prophetas?* Quibus lectis, & non perpensis, literâ *Prophetæ* excæcatus, protinus in verba erupit, quosnam Saul Propheticos scripserit libros, quærens. Aliud puerile magis. Contigit cuipiam in Bibliis Belgicis legere verba 2. Sam. 24. vers. 6. **Ende quamen tot** Gilead, **ende in't Nederlandt** Hadsi, **ende quamen tot** Dan Jáan, **ende om** Sidon **henen**. Inde vocem **Nederlandt** apprehensam hinc & inde circumtulit, homo vanitate suffenus, se ex Bibliis sacris Belgium demonstrare literaliter posse, glorians. Sed pueris puerilia: vulgo inepta. Ad Vitum nos.

VIII. Vir ille eximius & authoritatis non postremæ Didacus verba Jiobi literaliter explicat, dicendo, quasi Deus Terram motu circumvolutionis in suâ Sphærâ moveat. Sed veritatem involvit magis, quàm evolvit. Sanctus attentissimè legatur textus, ejusque consideretur scopus, & patebit quæsitum.

IX. In quarto versu scopus & finis intermedius omnium sequentium versuum deprehenditur, qui est Sapientiæ & Potentiæ Divinæ descriptio. In quinto, miraculosa Dei virtus, *qui transfert montes derepente*:

ad-

additur causa: quia in furore Deus exarsit. In furore igitur iræ suæ montes disgregavit.

X. Sextum jam versum lego, qui Astunicæ Quæstionis caput est. Quid autem ibi? *Qui commovet Terram de loco suo, & columnæ ejus concutiuntur.* Ubi noto 1. τὸ *commovere Terram*, & dico: Aut ibi Deus commovet terram moventem se, aut quiescentem. Non moventem se: quia motum corpus moveri in motu non potest, sed promoveri; ut ita motus ejusdem posterior major sit priori. Et, si motam antehac in creatione movet iterum ob iram suam; jam motus ille erit præternaturalis: atque ita nihil concludit Astunica. Si itaque non moventem se? Ergo quiescentem Deus commovet terram. Quod verosimilius longè esse, versuum, primi ad quartum, & quarti ad decimum collatio, ut & ipse Miraculi sensus, ad oculum & sufficienter probant.

XI. Conferamus. In præcedentibus tribus versiculis scopum proponit summum & (ita dicam) ultimatum: scilicet, Hominem coram Deo non justificatum iri. Rationem subjungit: quia ei, secum litiganti, ne ad millesimum quidem verbum respondere potest. Confirmatur porrò versûs secundi sententia ab attributis Divinis, Sapientiâ & Potentia. Per hæc duo (liceat abstrahere) Deum mirabilia producere quoti-

die & præſenter; arguit in verſu quinto, partim tranſlatio montium: quæ non naturalis, ſed vel Metaphorica, ſecundùm Paraphraſin Chaldaicam; vel præternaturalis: partim etiam id arguit ira Dei, quę temporalis & momentanea eſt; atque ita in tempore fit. Quis hominum altior? quis potentior montibus, ut eos tranſportet? Nemo hominum. Si Reges montes ſunt: quis Nabuchodonozorem, Montem illum faſtigio ad cœlos uſque ſuperbientem, tranſportavit, complanavit? Deus, glorioſus in operibus ſuis valde: &, qui ſolus mirabilia facit in irâ ſuâ.

XII. Verſum ſeptimum ſtudio præterirem, niſi ex conſequentibus etiam, miraculoſa hîc Domini opera intelligi, evincere poſſem. Sic autem ſonat: *qui dicit Soli, & non oritur, & ſtellis ſignaculum ponit.* Tremendæ hæc Majeſtatis miracula ſunt, quæ potentiſſimas Cœlorum virtutes inhibere ſola poteſt; adeò ut confiteri Domino cogamur ex verſ. 10. *IPSE facit mirabilia, quæ ſcrutari non poſſunt, & mirabilia abſque numero.*

XIII. Ex hiſce & antecedentibus colligo: Commotionem Terræ hîc, vel Metonymicam eſſe, vel Miraculoſam; non autem, ut evictum jam eſt, Naturalem, quod fruſtra voluit Didacus.

XIV. Objectionem, quæ afferri contra poſſet,

posset, præoccupo. Dices, posse Deum perpetuum Terræ motum continuare per ejusdem conservationem providam; atque ita dici posse, Deum Terram, ejusdem motum conservando, commovere. Resp. Hoc admisso, Elenchus phraseos evitari haud poterit: Principii quoque petitio haud longè aberit. Sed quid ego, ad nondum mihi objecta, respondeo?

XV. Notaveram n. 10. ex versu sexto τὸ *commovere*: restat, ut 2. quoque notemus voces, *ex loco suo*. Noto, inquam, vocem *suo*; quæ possessionem rei vel proprietatem significat. Jam proprietas illa Terræ, seu possessio, refertur ad locum ejus; ut ita Terra locum suum possideat proprium. Quæro autem: Possessio illa loci an sit naturalis, an violenta? Non violenta: quia implicat. Tertium non datur. Ergo naturalis. Si hoc: Ergo Deus Terram ex naturali suo loco miraculosè commovit, ut cardines soliditatis ejus contremiscerent. Quomodo verò commotio ista sese habuerit, in medio relinquo.

XVI. Ut tandem hinc discedamus, dico adhuc: Illa Terræ commotio, aut propriè, secundùm nativam significationem, est accipienda; aut tropicè & Metonymicè, pro hominibus in Terra habitantibus. Si propriè: supernaturalis erit motus, & non naturalis. Si tropicè & Metonymicè: tum

per Montes, Reges: per Columnas, Magiſtratus & Principes: per Terram ipſam, in genere, Incolæ Terræ intelligentur. Sicuti etiam magis ad iſtam inclino explicationem; collatione Pſalmi XLVI. perſuaſus. Janſenius in Jobum cap.9. ſic enarrat: *Commovet terram de loco ſuo; intellige, continens pro contento. Id autem factum eſt, quando Iſraël tranſtulit de terrâ ſuâ*, &c.

XVII. Quam Gandavenſis expoſitionem, uti multis Scripturæ locutionibus Rhetoricis convenientem, omnes, dubio procul, recipient. Sive enim phraſin, *Commovere Terram*, propriè & nativè accipias; ſive impropriè ſeu tranſlativè, ad turbas Regnorum & populorum; utrumque acceptari ſuo ſenſu poterit. Utrumque MAGNALIA JEHOVAE repræſentabit. Utrumque glorioſam ejus potentiam enarrabit.

XVIII. Qui ſacer Ijobi locus, ita Metaphoricè explicatus, Ptolemaicos, pro Hypotheſi Terræ quietis confirmandâ, nihil juvat. Sed neque Copernicæis adeò favebit, uti jam probatum ſufficienter eſt. Quod ſi igitur ego Terræ quietem (quod validiori facerem ſequelâ) probare hinc non poſſum; multo minus Terræ motum circularem Didacus Aſtunica probabit.

Atque ita Æquus Lector, Didacum Aſtunicam inter, & rationes, contra ejus Exegeſin

ſin allatas, diſcernere facillimè poterit. Triumphum ante partam Victoriam cecinit.

CAPUT V.

Locus Extat Joſuæ Cap. x. verſ. 12. 13. 14.

Ex Tranſlatione Hebræâ Pagnini, collatâ cum Chaldæo Paraphraſte.

12 *TUnc loquutus eſt Iehoſua Iehovæ in die, quâ tradidit Iehova Emorræum coram filiis Iſrael, & dixit in oculis Iſrael: Sol in Gibhon expecta, & Luna in valle Ajalon.*

verſ. 13. *Et expectavit Sol, & Luna ſtetit, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis: Annon hoc eſt ſcriptum in libro Iaſar? Et ſtetit Sol in medio cœli, & non feſtinavit occumbere circiter die unâ integra (perfectâ.)*

verſ. 14. *Et non fuit ſicut dies illa ante eam, nec poſt eam, in qua obedivi Iehovah voci Viri: Iehovah enim pugnabat pro Iſrael. &*

L X X. *Interpretum.*

STet Sol ſuper Gabaon, & Luna ſuper vallem Ælom.

Et ſtetit Sol, & Luna in ſtatione, donec ultus eſt Dominus inimicos eorum &c.

Et ſtetit Sol ad medium cœli; non procedebat ad occaſum in finem diei unius. &c.

I, Lo-

I. Locus iste graviter Copernicæis objectus à Ptolemaicis est; & urgetur adhuc modo hocce: Quicunque naturaliter stat, ille stare miraculosè, tempore bellorum Josuæ non potuit: At, ex hypothesi Copernici, Sol naturaliter fixus stat. Ergo stare, tempore bellorum Josuæ, miraculosè non potuit. Conclusio dicam S. Spiritui minatur. Nos eam Conclusioni dicimus.

II. Ad quem Locum leviter nimis & obiter à Copernicæis respondetur: Sanctum, nempe, Spiritum ibi loqui ex mentis & opinionis humanæ, vulgaris, Hypothesi, quâ Solem currere & Terram quiescere Judæorum vulgus putabat. Scio, non neminem respondisse, Josuam loqui ex suâ propria & privatâ opinione; quâ deceptus, Solem suum sistere gradum jussit. Sed disputare hoc, an Sancto illudere Spiritui sit; dicere equidem pluribus nolo, dum tempori & Responsatoris hujus pudori parco.

III. Cæterùm, quia (ut jam dixi) præstantissimi quique Copernicæorum communiter ad ista respondent, ad sensum scilicet & opinionem plebis Judæorum dicta hæc & scripta esse: videamus, an taliter respondisse sufficiat: graviora enim hæc sunt verba & ponderosiora, quàm ut ea quasi tali eludere responsione possimus.

IV. Omnia autem ferè Textûs verba Emphatica valdè sunt; imò Emphasis quædam

dam magna, quæ vi quadam internâ, & occultâ rei, quæ ibi dicitur, violentiâ, sensum profert, auget & confirmat; nequaquam verò imminuit, aut omnino tollit. Quis enim, si verborum, per gravem aliquam Emphasin prolatorum, sensum imminueret, vel (ut Copernicana vult exegesis) eundem omnino tolleret? quis, inquam, non eum cum autoritate & graviter ludere, & graviter falsum (pudet, dicam mentiri) non astruere diceretur? quis taliter ludens non, etiam à Parte Copernicæorum rideretur? Implicantur ista. Emphasis, repeto, sensum verborum non minuit, non tollit; sed auget & confirmat.

V. Primum, quod jam urgere proposui, verborum pondus est, & habetur v. 12. ubi Josua Domino loquutus verba dicitur in facie totius Israëlis. Expendo autem hic vocem, *loquutus est Josua Domino*; cujus exegesis hæc est: Grato, scilicet, animo gloriam populi Israel, hostibus triumphatis, agnovit Josua, Deum tam apertè pro se & populo suo pugnare ad faciem, videns: majora igitur eum fides à Deo sperare & poscere jubet, pro conservatione populi illius, ex cujus stemmate benedictum semen, Messias, educendus erat. Audet igitur, eâ fide munitus, poscere ea, quæ hominem, quæ mundum, quæ naturam, atque ita & suum ipsius votum excesserunt.

VI. Cir-

VI. Circumſtantiæ Textus, ſi abſque Hypotheſis cujuſcunque præſumptione perpendantur, arguent & evincent aliquid. Et has jam Lectori compendifaciam: attingam tantùm.

VII. Quæro igitur 1. *Quis verba hæc*, Sol ſta, expecta, *protulerit?* Reſp. Joſua, Homo ſapiens. Non idiota: quia Homo loquutus eſt: quia repletus Sapientiæ Spiritu erat. Non de vulgo: quia Moyſes ſuas ſuper eum manus poſuerat, Deut. 34. v. 9 Prophetam igitur potiùs, quàm Idiotam, dixeris.

VIII. Sapientiam autem iſtam non Militarem duntaxat dixeris: quia Theologicam, tot & tam graves atque piæ admonitiones; Philoſophicam, dexterrima Terræ Canaan & artificioſa in XII. Tribus diviſio oſtendit. Quidquid ſit: Joſua repletus eſt Spiritu Sapientiæ à Domino, Num. 27. 18. quem Spiritum ejuſdem cum Moyſis ſpiritu valoris & qualitatis, quamquam non æqualitatis & excellentiæ, fuiſſe, quid hîc demonſtraſſe pluribus juvabit?

IX. Copernicæorum reſponſionem urgeri hinc poſſe oſtendo & argumentor: *Qui repletus eſt Sapientiæ Domini Spiritu, ille non eſt de vulgo, ille ſapienter, ille verè cum Spiritu ſapientiæ, & non falſè cum vulgo ſentit & loquitur.* Spiritui quippe ejus, quem dederat ei Dominus non ideo Sapientia tribuitur, quia cum vulgò falſa ſentire

re & loqui; sed, quia supra vulgum sapere debet.

At Josua repletus est Sapientiæ Domini Spiritu.

Ergo Josua non fuit de vulgo; sapienter & verè cum Sapientiæ Spiritu; & non falsè cum vulgo loquutus fuit. Sapientia, quæ est supra vulgum, pugnat cum opinione vulgi; ideo quippe vulgi fœcibus eximimur ut meliora sapiamus veriora loquamur.

X. 2. QUID verò Josua locutus fuerit, expendere nos forsitan non pœnitebit. Ita autem imperat: *Sol in Gibhon expecta & Luna stet super Ajalon.* Verba autoritatis plus, an ponderis habeant, dubium valde est. Audimus autem textus hujus expositionem: Solem, inquiunt Copernicæi, vult Josua expectare: quia, eum celerrimè currere cum vulgo, & discessum maturare, putavit. Opinione igitur ista deceptus, talia ad Solem, coram Domino, effatus est. Resp. At hoc fieri in tanto zeli fervore quî potuit, cum in Spiritu suo per Spiritum Dei vehementer inardesceret? *Jehosua Jehovæ locutus est.* Josua, scil. Spiritu Dei Sapientiæ plenus, verba hæc coram Domino dixit. Sed ad Verba.

XI. Sol *in Gibhon expecta, & Luna stet super Ajalon.* Voces Imperii hujus cum expendo, quasdam earum ad captum vulgi & opinionem, quasdam ad rem dici, depre-

prehendo. Ad captum & opinionem, quando Sol stare super Gibhon jubetur. Forsitan ex rationibus his, 1. quia eum super Gibhon, & Lunam super Ajalon perpendiculariter & directè esse putabant: quod tamen esse falsum patet, quia Sol ad Tropicum usque Cancri duntaxat, & non ultra, (versùs, aut supra Palæstinam Terram) excurrit. 2. Quod Luna cum Sole, quasi tum sibi propiores Planetæ, nominantur, & in eodem simul Horizonte ponuntur. Ajalon quippe à Gibhon seu Gabaon, versùs Mare Mediterraneum protenditur. Et si ab Oriente linea per Gabaon ad mare usque duceretur; tum, Ajalon Civitatem vix duabus leucis, Austrum versùs recedere videremus.

XII. Ad quæ duo, ulterioris altercationis evitandæ gratia, respondeo concedendo, duo hæc secundùm apparentiam & vulgi opinionem esse intellecta potuisse. Potuisse dico: non verò, intellecta sic esse. Ratio, 1. Quia Josua contemplatus est Solis situm super Gabaon: non perpendiculariter, ductâ ab axe Meridiani ejus lineâ; sed indirectè: non distinctè & accuratè; sed confusè, objectivè & obiter, & (quod dicimus) crassâ Minervâ. Ita igitur Solem & Lunam collocavit, quomodo eidem, obiter, raptim & vix suspicienti, apparebant; & quatenus lumen ipsi in Gabaon utile præbebant.

bebant. Jam, negatâ diſtinctâ, accurata & perpendiculari Solis ſuper Gabaon, & Lunæ ſupra Ajalon poſitione, non certè ſtatim poſitio ſuperna aliqualis negabitur. Verè enim nihilominus Sol ſuper Gabaon fuit Phyſicè, licet non Geometricè. 2. Neque ea mens Sancti erat Spiritus, neque Joſuæ, ut Sol ſuper civitatem tantùm Gabaon eſſet; neque, ut directè eſſet; ſed ſuper loca omnia circa Gabaon, in quibus fugientes perſequuturus hoſtes erat. Quocirca quæro: utrum ea, quæ generaliter, confuſè & minùs accuratè dicuntur, ad captum ſemper dicantur, vel falſò dicantur? Quod ego quidem confidenter nego; quod neminem, niſi à Philoſophantium Collegio proſcribi velit, conceſſurum, ſcio.

XIII. Porrò: cur Joſua Solem ſuper Gabaon, & non ſuper Makeda, Bethoron & alia loca conſiſtere juſſit; cum tamen iis in locis, quaquavorſum, cruenta pugna & magna hoſtium inſecutio fuerit? Reſp. partim, quia indefinitè Solem ſibi lucere volebat in Gabaon, & circa fines illius Territorii: partim, quia pugna ibi maxima adhuc & hoſtium inſecutio reſtabat, cùm Reges Duceſque hoſtium capti nondum eſſent: partim etiam, ne hoſtes in vicinas Gabaoni civitates & caſtella, tenebrarum beneficio, dilaberentur. Nondum igitur, quicquam hîc ad captum & opinionem dictum *eſſe*, evincitur,

citur, veruntamen, dici ſic & intelligi *potuiſſe*, inficiatum non ibo.

XIV. Tandem quæro: Cur Joſua Lunam quoque ſtare juſſerit? Reſpondebitur ex Hypotheſi: quia eam moveri putabat. Atqui hodie Copernicæi menſtruum Lunæ motum non omnino denegant. Igitur, ſi ad falſam vulgi & præconceptam hypotheſin Joſua verba hæc dixit, ſequitur irrefragabiliter, Lunæ motum propter vulgi captum imperatum, atque ita falſum Lunæ motum retardatum eſſe. Quæ, quomodo, & cum Sancta Scriptura & ratione conveniant, Lector judicet.

* * *

Vocem imperantis audivimus: Factum 3. obedientis ſequitur. *Et expectavit*, Sacræ, inquiunt literæ, *Sol, & Luna ſtetit. Et ſtetit Sol in medio cœli & non feſtinavit occumbere, circiter die una integra.*

XV. Tria hic expendenda nobis obviant. Primùm, *vox ſtetit*; & ejus ſynonymum, *expectavit, non feſtinavit*. Textum huncce Emphaticum, atque adeo de rei veritate pronunciantem eſſe, arguit, (1.) particula ET, quæ eſt Solis obedientiæ cum mandato Joſuæ copulativa. Similis textus in Creatione legitur, ubi Deus dixit: *Fiat lux! & facta eſt.* In quo mandato, τὸ ET, conjungit τὸ *facta*, cum *Fiat*; ut, in rei veritate ea eſſe facta, innueretur. Ita dixit Joſua coram Domi-

Domino: SOL *expecta, & Luna stet; Et stetit* SOL. Clarior hic & potentior verborum est sensus, quàm ut hallucinationem Hominis admittat.

XVI. (2) Verba, *stetit, expectavit, non festinavit*, toties inculcatam arguunt Emphasin: quorum vim quis non, nisi Scepticus Mercurius, sentiat? *Stetit*, id est, a cursu quievit. *Exspectavit*, scilicet, ultionem hostium. *Non festinavit occumbere*, hoc est, verè expectavit, verè quievit, circiter die unâ integra. Verba hæc mutuò sese explicant, ut verum adstruant. Sed Emphasis hîc maxima rem arguit.

XVII. Secundùm, Textus: *Et stetit Sol in medio cœli*. Ex quibus vocibus Copernicæi, apparenter hæc & intellecta & dicta esse, colligunt. Non sine ratione: Sol enim tum non erat in Æquatore. Et, si maximè fuisset; non tamen Æquator per Syriam aut Gabaon ducitur, ut ità medium cœli sit super Gabaon, aut Syriam. Quæ ratio levis esse ponderis immeritò dicetur. Veruntamen nondum sufficit. Commissus Phraseos Elenchus est, nec non Elenchus Distributorum: non enim ibi accuratum atque exactum cœli medium, Æquatoris cingulo ventrem Globi cingente, sumitur; sed, vel indefinitè, pro axe ipsorum Meridiani; vel pro medietate Cœli, quæ est Orientem inter & Occasum. Dico vulgariùs:

in

in umbilico Cœli: clarissimè, tempore Meridiei, id est, nobis Horâ XII.

XVIII. Tertiùm: expendendum venit, quod familiam hîc ducit, *Miraculum*, quod vers. 14. innuitur: *Et non fuit dies ulla ante eam, nec post eam, in quâ obediret Jehovah voci Viri: Jehovah enim pugnabat pro Israël.* Miraculum se suâ explicat perspicuitate. Argumentor:

Quod miraculosum est, illud non naturale est:

Sed Solis statio illa fuit miraculosa.

Ergo Solis illa statio naturalis non fuit.

Et sanè argumentum hoc urgeri magis debet, quando, ista secundùm apparentiam vulgi & opinionem tum communem dicta & facta esse, respondetur. De hac autem communi Copernicæorum responsione in Loco Psalmi *XIX.* egimus; & uberiùs infra agemus.

XIX. Quod si apparenter facta, & secundùm vulgi tantùm opinionem dicta sunt, repono Problema: An *omnia* loci istius dicta ad apparentiam & opinionem hominum accipienda sint: an *aliqua* tantùm; aut omnino *nulla*? Quodcunque apprehenderis, apprehendet te. Quò te cunque receperis, nuspiam evades: teneberis. Si enim dixeris, *nulla* secundùm apparentiam & hæsitationem hominum accipi debere; Scripturæ vicinior, & Ptolemaicus

cus es. Si *aliqua tantùm*: mecum ſentis. Sed ego Tibi concludo: Ergo non *omnia* loci hujus ſacri verba accipienda ſunt, quemadmodum reſpondere hactenus Copernicæi conſueverunt. Et ſic diſquiſitio nobis erit; quænam vere ſeu propriè, & quæ ſecundùm apparentiam ſeu vulgi opinionem ibi dicta ſint, & in quantum taliter dicta ſint? Non diffiteor, eſſe hic loci *quædam*, quæ apparenter etiam à nobis, & non contra,ſed præter Scripturam, concipi poſſunt, ſicuti n. 12. & 17. oſtendimus. Aſt de eo lis adhuc eſt, an illa verba ſic à Spiritu S. intellecta ſint.

XX. Sin autem *omnia* ſecundùm objecti apparentiam & hominum hallucinationem intellexeris, quot non abſurda te obruent? ſcilicet 1. Ergo falſum eſt, Solem exſpectaſſe & non feſtinaſſe. Admiſſo hocce, eodem modo dico, 2. Ergo, Lunam ſtetiſſe, falſum erit: quia, ex Hypotheſi, apparenter tantùm Luna movebitur. 3. Ergo falſum erit, diem illam fuiſſe prolongatam. Si enim Sol occidit, dies ampliùs non eſt. Fuit autem dies protracta in longum; & ſic etiam Sol, tanquam cauſa efficiens diei. Deinde: qualiter de cauſa & uno attributorum judicas, taliter etiam de effectu Cauſæ ejuſdemque cæteris attributis pronunciabis. Denique,quia forſitan apparenter facta omnia, & ad captum & opi-

nionem

nionem dicta hæc esse, asseres. Si omnia, si Solem: Ergo etiam Lunam stetisse, quievisse, falsum erit. De Sole & Lunâ hic dicitur τὸ stare, τὸ quiescere, τὸ expectare. De Sole si apparenter & hæsitanter pronunciatum est: tum etiam de Luna apparenter, eam scilicet cucurrisse & stetisse, affirmabitur. 4. Ergo falsum est, diem illam fuisse miraculosam. 5. Ergo falsum est, Dominum obedivisse voci hominis: quia ad captum omnia explicas. 6. Ergo (eadem consequentiâ concludo) falsum erit, lapides pluisse, & sic Dominum pro populo suo pugnasse. Non mihi succenseas, Lector, quòd hoc blasphemum inferam: quia sequitur non mihi; sed, qui argumentatus taliter es, Tibi. Dices: Solem motum esse repugnat rationibus & observationibus? Resp. Lapides pluisse repugnat omnino naturæ. Lapides quidem fulminei in aëre naturaliter generantur. Sed in tanta copia, ut tot millium exercitum obruere possint, non generantur jam; sed producti olim mirabiliter sunt. Nihil est, quod ex Romana Historia, aliquoties pluisse lapides, afferri contra possit. Lapides n. illos S. (Lapillos figurarum, Conicæ vel pyramidalis) unà cum pluvia intermixtim decidisse constat: in pugna autem Israëlis cœlo serenissimo, Sole in umbilico hærente, lapides pluisse dicitur.

XXI. Coronidis loco adjiciam aliquid de

de Achaz, Rege Judææ, Esa. 7. cui signorum postulatio à Deo ipso oblata est. Quod si Achaz signum in superis cœlestibus postulasset, factum id dubio procul fuisset; sed, ex Hypothesi hodierna, apparenter tantùm. Non miraculum igitur; sed oculorum & mentis mangonium & præstigiæ fuissent. Viderint certè, quo hîc saltent modo, qui hallucinationem humanam semper prætendunt. Hic Rhodus erit.

XXII. Eodem igitur modo ad Miraculum, Chizkijæ Regi præstitum, Esa. 38. 8. responderi posse, existimo. Quapropter plura non adjiciam, non Scripturæ examinabo loca. Plura enim, si quæ occurrunt ad jam examinata referri omnino possunt. Chizkijæ signum datum, Sol in Solario Achaz decem gradus retrocessit, miraculum fuit. Conferri igitur cum loco jam tractato Josuæ 10. non incommodè potest. Evicto altero, cedet facilè & alterum.

CAPUT IV.

Locus Geneseos Cap. I. vers. 16.

Editionis vulgatæ.	Chaldæus Paraphrastes.
Fecitque Deus duo Luminaria magna: Luminare majus, ut præesset Diei; & Luminare minus, ut præesset nocti, & stellas.	ET fecit Deus duo Luminaria magna: luminare majus, ut dominaretur in die & Luminare minus, ut dominaretur in nocte: & stellas.

Pagninus vertit: *ad dominium Diei, Noctis.*

I. PRoducuntur à DEO T.O.M. duæ nobilissimæ Creaturæ, quas primæ vâ luce, materiâ cœlesti præstantissimâ, exornavit, Facesque Mundi Fascium Summus esse Imperator jussit.

II. Observare autem singula Textus hujus, & meditari, verba oportet, ut genuinum ejusdem sensum, atque ita Veritatem ipsam, assequamur; heterogeneum verò confutemus. 1. Vocem, *fecit* luminaria. 2. Adjunctum Numeri, *Duo.* 3. Adjunctum Quantitatis, *Magna.* hoc est, creaturarum istarum essentiam cum qualitate suâ & quantitate. Monitum autem Benevolum Lectorem velim: me hic loci Vocem *Luminarium* substantialiter, pro ipsis Solis & Lunæ substantiis lucidis sumere: quarum substantiarum corporearum materia cœlestis, vel lux primigenia est. Non autem accidentaliter, pro lumine ab iisdem per radios egrediente.

III. Primùm quidem notanda est vox, FECIT, quæ Efficientis DEI in effectum principalem, realem & proximum arguit influxum; Effecti verò exprimit veritatem. Quod quidem verbum obiter legendum non est: opponi namque illis, potest

test,qui pro *fecit* dicunt *appellavit*; decepti, forsitan à versu 5. Capitis, ubi dicitur: *appellavitque* (*Deus*) *lucem*,*diem*; & *tenebras*, *Noctem*. Magnam enim inter hæc verba, *fecit* & *appellavit*, esse differentiam jam ostendemus.

IV. Ostendo. Facere possum rem magnam non in se;sed in respectu ad alium,cui res fit, seu (dicam barbarè; sed clarius) facitur; licet respectu sui generis similium sit minor. Ne autem subtilitas quæri hîc videatur, crasso id declarabo exemplo. v. g. Sutor consuit calceum Petro. Petrus, homo staturæ humilioris, curtum habet pedem. Sutor verò calceos, tribus aut quatuor granis longiores, consuit,qui Pumilioni Petro sunt majores,& ideo aptos sibi pronunciat; Paulo verò, procerioris staturæ homini,non ad pedem sunt, qui ideò de ineptitudine atque parvitate calceamentorum conqueritur. Artifex tamen, soleâ Pauli neglectâ,calceum Petro esse magnum pronunciat; licet Paulo minor, & non ad pedem, videatur. Quare? quia non Paulo, sed Petro calceum formavit. Applico jam: Quæ profana Sacris applicare secundùm eandem non dubito mensuram. Crassum est exemplum; sed sacræ utile veritati. Consideratam hîc in se, & respectu, Cur. Fit, quantitatem & magnitudinem volo; non verò quia talis apparet tantùm. Sed applico.

Luminarium Quantitatis Collatio.



V. ITA Deus duo Luminaria fecit, NOBIS CD. NOBIS, inquam, Magna fecit; non verò *Magna* SIBI, & aliorum ſiderum reſpectu appellavit. Neque verò ideo magna fecit Nobis, ut Nobis eſſe tanta viderentur; ſed ut revera Nobis tanta ſint. Quid enim ad Nos attinet, Lunam magnitudine à multis aliis, tam fixis ſtellis, quàm Planetis ſuperari? Fecit Deus, non Stellas magnas; ſed Luminaria Magna. Cui? Non ſtellis, utpote quæ ſuâ, primigenitùs ſibi infuſâ, luce radiant; ſed Nobis CD, ea fecit,

ut

ut illuminent Nos. Quid igitur obstat quo-minus Luna Stellis aliquibus minor; Nobis verò CD, Magna reverà sit? Annon Terra & Elementa in se Magna sunt Domini opera; etiam si Terra in respectu ad Cœlum minima, & ad instar puncti sit? Apparenterne tantum magna erunt Nobis CD, Domini Opera? Eruntne Luminaria A B, in respectu F, ad Homines CD, apparenter tantùm Magna? licet in collatione ad se invicem E, ═══ minora sint? Quid prohibet?

V I. Concludo. 1. Ergo Luminaria duo *in se* magna sunt. 2. Ergo Luminaria illa duo Nobis in rei veritate magna sunt. 3. E. non sunt apparenter tantùm magna. 4. E. injustissimè Scriptura à Copernicæis ad vulgi captum & erroneam apparentiam hîc loci detorquetur. Magnæ sanè temeritatis est, illa Sancti Spiritus oracula ad erroneam vulgi balbutiem detorquere: cum tamen nulla id nos postulet necessitas. Sed pergendum est.

V I I. Secundùm notamus, *Duo* in Sacrâ Historia *dici Luminaria*. Quid duo? cur non septem, vel plura? Fecit duo: quia duplex illis duntaxat officium DEUS demandare volebat: ut præessent, alterum Diei, alterum Nocti. Fecit duo: quia duo sufficiebat præfecisse temporibus Luminaria: quemadmodum, duos quoque toti & tanto Mundo præfecisse homines, sufficiebat. Fecit

duo: ne, cùm altera Orbis pars luce frueretur, altera omnino caligaret. Omnia sapientissimè. Omnia optimè.

VIII. Fecit *Luminaria.* Quid, Luminaria? Nonne, diem creasse eamque appellasse lucem sufficiebat? Utique NOBIS suffecisset. Ast Optimo Maximo, non confusam duntaxat lucem, Orbi donare; sed eandem quoque in certas distinguere species placebat. Et hinc duo ista prodiere quoque Luminaria. Fecit Luminaria? Cur vero ea Solem & Lunam non appellat? Tibi, ô Homo Philosophe, hancce reliquit ὀνοματοποίειν. Tu quoque Majus Luminare appellasti Solem: quia solum lucis & astrorum Regem censuisti. Contemplare Opera Domini: quia in eis admirabile Dominantis Domini nomen vides; & porrò & valdè obstupescis. Fecit Luminaria, ut non Cœlo Solem Dominum, & Lunam Dominam; sed Tibi, Orbis Vasallo, Luminare, commodissimè & fidelissimè inserviens, creasse Optimum Patrem, discas. Sed hæc pia. Ad ulteriora jam, nostroque proposito utiliora.

IX. Restat, ut Adjunctum quoque Luminarium Quantitativum examinemus. *Fecitque Deus,* inquit Spiritus S., *duo Luminaria magna, Luminare Majus, ut præesset* (dominaretur) *Diei, & Luminare Minus, ut præesset* (dominaretur) *Nocti.* Duplicem hîc deprehendo locutionem: Gene-

Generalem, sive confusam, & specialem seu distinctam. Cum enim primò dicit, Deum fecisse duo Luminaria MAGNA; intelligit Magnitudinem in genere, seu Magnitudinem confusè & materialiter conceptam. Ne verò quis sacras literas arguere falsitatis posset: vel hodie quispiam ad crassum vulgi conceptum eas detorquere auderet; ecce Nobis Sanctus DEI Spiritus philosophicè easdem distinguit. Luminare MAJUS (Solem), ut diei; Luminare MINUS (Lunam) ut Nocti praeesset.

X. Distinguitur apertè conceptus Solis & Lunae confusus, materialis, à distincto, formali. Ut talis prodeat sensus. Utraque Luminaria AB, NOBIS CD, facta sunt MAGNA. Atque ita sunt Magna in se & in respectu ad Homines, CD. Sol tamen A, Luminare Majus, & Luna B, Luminare Minus est in collatione ad se invicem, ═══E.

XI. Quia vero eorum Quantitas non restringitur, non determinatur: ideo, quorum respectu Luna Major vel Minor sit, hinc decidere non possumus, si vel omnes subtilissimi ingenii exhauriamus vires. Frustra igitur Copernicaei evincere hinc student, Luminaria illa Magna dici, propter praeconceptam vulgi ex apparentiâ opinionem. Majoris certè erit molis, Sacratissimi Spiritus balbutiem hinc demonstrare. Sed argumenta videamus, quae potissimùm recenset

Clarissimns Vir, Christophorus Wittichius, Diss. I. cap. 4. art. 5.

XII. Ita autem, loco citato super hujus Sacri Textus verba scribit: *Sol & Luna vocantur Luminaria magna opposité ad reliquas Stellas, cum tamen certum sit, apud Astronomos, plurimas stellas tam fixas, quàm Planetas superare Lunam suâ magnitudine, Videsis Clavium in Sphæram de Sacro Bosco p. 205, 206. Ergo hìc iterum exemplum Scripturæ loquentis secundùm apparentiam sensus, cui innititur vulgi opinio, non secundùm rei veritatem.*

XIII. Ad quæ respondeo 1. Unde Viro Clarissimo constabit, SOLEM & Lunam vocari hìc Luminaria MAGNA, OPPOSITE AD RELIQUAS STELLAS? Legimus, Deum fecisse duo Luminaria Magna; sed, alterutrum horum appellatum fuisse Minus, minùs consideramus. Repeto n. 11. allata, Spiritum S. in genere tantùm, confusè, & materiali hominum conceptu (qui hominum filiorum esse lingua videtur) loqui, cùm dicit: *Fecitque Deus duo Luminaria magna.* In specie verò, distinctè, & formaliter de Solis & Lunæ quantitate, loquitur, cùm dicit: *Luminare Majus, ut præesset diei: & Luminare minus, ut præesset nocti.* Restrictio igitur ad reliquas Stellas hìc esse non potest: quia respectus & comparatio Lunæ B, Luminaris Minoris, hìc

ad Solem A, Luminare Majus, ducitur. Probo adhuc, si probatum nondum est: quia Sol & Luna distinctè sibi hîc opponuntur ═══════ in quantitate. Evincunt id 1. partim voces, Majus & Minus; partim voces, *præesse* Diei ac Nocti. Quomodo enim Luminare minus differt à Luminari Majore? Resp. per differentiam officii ipsis impositi: quod illud (Majus, Diei hoc, Nocti:) præesse minus debeat.

XIV. 2. Si Luna minor dicitur in respectu ad Stellas; tum ex Te quæro: in quarum stellarum respectu quanta dicatur? Ratio Quæstionis est: quia non omnes stellæ Lunâ Majores sunt; quod quidem Astronomis omnibus in confesso est. Luna ergo dicetur minor, vel respectu stellarum fixarum, quarum plurimas eâdem esse majores, communiter asseritur: vel respectu hujus vel illius Planetæ. At hoc in Textu non exstat. Ergo Luna dicitur ibi Minor, in respectu ad Solem: Sol Major, ad Lunam.

XV. 1. Belgas interpretes quod concernit: illi quidem verba hæc eodem cum Copernicæis modo exponunt: **Dewelcke (twee groote Lichten) groot genoemt worden / ten aensien van haer uyterlijcke gedaente; soo die in onse oogen valt / ende haer uytnemende werckingen.** In Belgio sum. Obmutescendum est. Dicam tamen aliquid. Non interpretationi; sed Interpre-

 tibus

tatibus: quia eadem nobis peregrinis, quæ Belgis ipsis, dicendi hîc libertas est.

XVI. Observanda Sacri Codicis Interpretibus imprimis tria erant. 1. Sanctæ materiæ & Textus expositionem esse simplicissimam, secundùm veritatis rotunditatem, debere. Dico, simplicissimam: quia simplicis Dei verbi expositio simplicium animabus informandis inservire debet. 2. Quia igitur simplicissima & rotunda: Ergo non debebat ad Hypothesin Geometricam reflecti, restringi: hoc enim qui facit, nonne pollutarum Sacrarum literarum postulabitur? Sacrilegii reus censebitur. 3. In alicujus textus expositione genuinâ opera est danda, ut omnis amor, tota delectatio, nostraque amicitia unicè tum in subjecta Textus materia fundetur, & hæreat. Quod quando fit, utrisque, & Amatori & Amatæ materiæ, ad summam consulitur perfectionem atque laudem. Materia quippe, Veritatem; Cultor ejusdem, Laudem demeriturì sunt. Laudem, inquam, quæ ex Interpretis illius ingenuitate: quæ ex animi fidelissimi candore, Virtute insigni, gloriosè demeretur.

XVII. Si igitur in Textus alicujus generali Explicatione amor & amicitia nostra unicè in Textu collocari debet: quid de Sanctis dicemus literis? Hęccinæ, amore? hæccine amicitiâ? itane tã indignæ animi Interpretum candore sunt? Laudem tamen ex earum

earum Luce, gloriosè quærimus. Non debebant sacratissima, omni potiùs adoratione & subjectione prosequenda, Sancti Spiritus Oracula, ad dubiam adhuc, Copernici restringi Hypothesin, more Calendariographorum. Fateor, Clarissime Wittichi: Dandum aliquid amicitiæ, dandum Amicis esse. Dare & illi debebant Amicitiæ: dare Amicis; sed SUO LOCO, & aliquid tantùm. Sancto autem Spiritui non aliquid; sed totum: non multum; sed plurimùm: *seipsos* etiam dare debuerunt. Sed transeant ista.

XVIII. Verba Calvini, super Geneseos cap. I. ad v. 14. Vir Doctissimus ibidem pro sua adducit controversia: Verba ejusdem adscribam. *Tenendum est illud*, inquit Calvinus, *Mosen* NON ACUTE PHILOSOPHARI *de occultis mysteriis, sed referre quæ passim etiam* RUDIBUS NOTA *sunt, & posita in vulgari usu.* Item ad v. 15. *Iterum repetere operæ pretium est, quod prius dixi, non hìc Philosophicè disseri, quantus sit Sol in cælo, & quam magna vel parva Luna. Sed quanta Lux ex ipsis ad nos perveniat. SENSUS enim nostros hic compellat, ne donorum DEI, quibus fruimur, cognitio præterfluât.* Et ad v. 16. *Hoc interest, quod Moses populariter scripsit, quæ sine Doctrina & literis omnes Idiotæ communi sensu percipiunt: illi autem* (Astronomi puta) *magno labore investigant, quicquid humani ingenii*

 acu-

acumen assequi potest. Hæc Calvinus.

XIX. Sed ad Magnorum Virorum conspectum concidendum statim non est, Magni esse Viri in doctrina possunt, qui in doctrinæ particulis forsitan hallucinantur: cùm nimium suæ indulgent opinioni. Quod cum ita sit: ab eorum sententia modestè recedere nos, atque ita & me nunc, mea jubet Eusebia.

XX. Dicit autem 1. Calvinus l.c. *Mosem non acutè philosophari de occultis mysteriis; sed referre, quæ passim etiam RUDIBUS NOTA sunt, & posita in vulgari usu.* Respondeo 1. Mosem quidem *acutè* hîc neutiquam philosophari; verumtamen Consequens nego, quòd scilicet referat vulgaria, quæ passim rudibus nota sunt, & posita in vulgari & erroneo sensu. 2. Moses non acutè philosophatur: Ergo non philosophatur? Nego iterum consequens: quia, negato & sublato Rei Modo, ipsa statim Res non negatur neque tollitur. Et, quomodo Res tolleretur; cum ipsam Modus non constituat, sed duntaxat perficiat? Non philosophatur acutè? Philosophatur tamen. Probavi id sufficienter hoc eodem Capite, suprà n. 10, 11, 12, 14. quò Lectorem remitto.

XXI. Non tamen me contineo, quin paucis Mosis philosophiam repetam. 1. Philosophatur Moses; cùm duo Luminaria primùm in genere, in se, sine respectu ad aliud,

esse

esse MAGNA pronunciat. 2. Philosophatur Moses: quando Quantitatem seu Magnitudinem, generaliter antehac & confusè dictam, mox formaliter quasi distinguit. Quod enim antehac Luminaria Magna appellaverat; eorum jam alterum MAJUS (Solem scil.), alterum MINUS (scil. Lunam) dicit. 3. Philosophatur Moses, quando, ex collatione & respectu ad Solem; minorem esse Lunam pronunciat. Quæ Lunæ ad Solem collatio supra, n. 14. & 15. probata aliquot rationibus est.

XXIII. Resp. 2. Calvinus dicit, Mosen acutè neutiquam philosophari DE OCCULTIS MYSTERIIS. Excipio autem primò, quod dicat, de *occultis Mysteriis*. Quod si, quæ hîc loci de Luminaribus dicuntur, occulta intelligit Mysteria; tum involvit. Contradictio est. Probo. Prædicatum evertere sui subjecti naturam non debet: Sed hîc mysterium (si per illud rerum naturalium qualitatem & proportionem intelligit) evertit rei naturalis naturam. Ergo involvit. Alibi ista latiùs. Secundò, Calvini responsionem assumo, & isto sensu meam facio: Moses non acutè philosophatur in occultis mysteriis. Ergo in verbis ver. 14. 15. 19. contentis nullum est mysterium occultum. Quare? quia ibi porrò philosophatur, ut evictum est; quamvis non acutè. In mysteriis verò nequa-

quam

quam philoſophamur ſimpliciter.

XXIV. Cæterùm, quia cum Calvino mihi res aliquantiſper eſt, cum eodem jam diſſerere me, tanquam cum Philoſopho, teſtatum facio. Ideoque philoſophicam cum Viro, olim acuto atque celeberrimo, inſtituo adhuc collationem. Vix autem, ut credam, induci poſſum, eundem hanc foviſſe Hypotheſin: Sanctum ſcilicet Spiritum nuſpiam locorum in Scripturâ, atque ita neque hîc, eſſe ſimpliciter philoſophatum. Forſitan propoſitio hæc, *Moſes non acutè philoſophatur*, infinita eſt. Si duæ voces, *Non acutè*, per Hyphen conjungantur Grammaticum, hoc modo. *Non-acutè*: id eſt, aliquo alio faciliori modo philoſophatur. Quod verò ad verſ. 15. dicat, *non ibi philoſophicè diſſeri.* Puto, ſic poſſe iſtud accipi: quòd nimirum Moſes non diſſerat philoſophicè, ita ut doceat, quantus Sol in cœlo, & quàm magna ſit vel parva Luna, *formaliter*, & ſecundùm ejuſdem Circumferentiæ commenſurationem; diſſerat tamen philoſophicè, quatenus aliquo modo Solis & Lunæ quantitatem diſtinguit. Sed hanc ſi non habuit, neque ego ipſi tribuam opinionem. Deinde fortaſſis, voces, *myſterium occultum*, latiùs paulò intellexit, ut rerum naturalium formalitatem, Vulgo incognitam, per eaſdem innueret. Quanquam ne talis quidem hic difficultas latet, ubi

ubi tam clarè, tam distinctè à Mose dicitur. Sed quid dico, fortassis? Imò idem Autor Mysteria ibidem loci non ad luminaria, sed ad signa refert, & hæc per illa explicat. Non acutè philosophatur Moses de occultis Mysteriis: hoc est, non prognosticatur, vel prognosticationem ex signis hisce luminosis approbat. *Cur Moses signa vocet? quia*, inquit l. c. pag. 5. *hoc loco abutuntur curiosi homines, ut frivolis suis prædictionibus colorem inducant. Chaldæos dico & fanaticos homines, qui ex siderium præsagiis nihil non divinant*, Esa. 44. vers. 25. Jerem. 10. vers. 2. Nihil ergo hæc Calvini Verba ad istam Controversiam D. Wittichio prosunt.

XXV. Pergit ad vers. 16. Calvinus, ita commentans: *Hoc interest, quod Moses populariter scripsit, quæ sine Doctrina & literis omnes idiotæ communi sensu percipiunt, illi autem* (Astronomi puta) *magno labore investigant, quicquid humani ingenii acumen assequi potest*. Ex quibus verbis tale excerpo argumentum:

Quæcunque omnes Idiotæ sine doctrinâ & literis (hoc est, solo sensu) percipiunt; illa Moses populariter, secundùm vulgi opinionem & rerum apparentiam scripsit.

Atqui omnes Idiotæ, duo luminaria esse magna, sine doctrinâ & literis percipiunt.

Ergo Moses populariter de iis, & secundùm

dum apparentiam vulgique opinionem, scripsit. Sed respondeo

XXXI. 1. Major perpetua non est: Idiotæ quippe multa sine literis & doctrina, solo sensu percipiunt; quæ tamen Moses primo Geneseos capite, non populariter, sed philosophicè & secundùm eorum formas proponit & describit. Et contra: multa Idiotæ sensu non percipiunt; quæ tamen Moses satis vulgariter, & ad captum simplicium perspicuè, descripsit. Exempli causâ, Gen. 1. vers. 6. *firmamentum super aquis*. vers. 7. *aquas supra cælestes*. 2. Minorem, si simpliciter proponatur, non assumo. Nego eam apertè. Idiotæ enim nequaquam, sine doctrina & literis, percipient, duo ista Orbis Luminaria esse Magna, in se & in genere; majora verò & minora respectu sui ipsorum. Vulgus tamen jam, ista sese Luminaria sic habere, verè sentit & credit. Unde edoctus? Ex SS. literis.

XXVII. Quam verò Piscator, in Quæstr. in Pentateuchum, quæstionem & huic subnexam responsionem adfert, eam huc quoque refero: quia eam examinasse ad me attinet. Quærit autem: *Quo sensu Sol & Luna dicuntur Luminaria magna? Resp. Sic vocantur respectu nostri sensus & judicii oculorum*. Ad hanc responsionem respondeo, commissum in eâdem esse Elenchum Distributorum ex Causis, quæ imperfectè atque

atque insufficienter enumeratæ sunt. Non enim sequitur. Sol & Luna dicuntur Luminaria magna. Ergo propter 1. vulgi sensum ocularem & apparentiam: quia illi corpora ista videntur tanta. 2. propter ejusdem opinionem: quia magna ista esse corpora putat. 3. (addam adhuc ex Calvino) propter quantitatem Luminis: quia *tanta Lux ex ipsis ad nos perveniat.* Inverto argumentum. Vulgus, propter apparentiam & opinionem suam, Solem & Lunam, magnos esse Planetas censet. Ergo, respectu nostri sensus & oculorum, Sol & Luna Planetæ magni sunt. Quid enim, si addidero tertium? Dici, scilicet, Luminaria illa Magna, & revera quidem Magna, primùm in se, & generaliter: deinceps, propter mutuam ad invicem collationem & respectum mutuum: ita, ut Luna sit Luminare minus in respectu ad Solem; & non in respectu ad nos tantùm.

XXVIII. Eodem modo ad Alstedii restrictionem respondeo, quam in Notis ad Genesin habet: *Luna,* inquit, *est Luminare magnum non SECUNDUM REM, sed secundùm SPECIEM duntaxat & virtutem.* Nec non ad Polani sententiam, in suo Syntagmate Theol. lib. 5. cap. 23. prolatam. Insufficientem enim esse eam, supra evictum à me est. Hæc itaque cum Calvini & aliorum Exegesi ad hunc locum conferre placuit. XXIX.

XXIX. Adeoque ne Revii quidem distinctio sufficiens hîc esse potest. Ipse quidem Analect. Theolog. Disp. 47. th. 5. ita ad hunc philosophatur locum, ut Magnitudinem, *non modo de substantiâ, sed etiam de potentiâ ac operationibus*, & sic, cum Basilio de *ipsius munere* & officio, dicat. Resp. 1. Est quidem hoc ex rei veritate, sed non tantùm hoc. Partem veri dixit Revius, non Totum veri. Luna enim non tantùm dicitur *luminare* Magnum; sed etiam quia in se & in genere magna est Dicam plura. 2. Distincta sunt ista, Magnum esse Munere seu officio: &, magnum esse virtute, seu operatione. Ratione Muneris & Officii Lunam esse Magnam non diffiteor. 1. quia Luminare: unde & à quocunque lucem habeat. 2. quia Noctis, Præfecta quia Domina. Cum enim quæro, cur Luna à Mose Magnum appellata sit Luminare? Respondetur, rectè dici per Metonymiam effecti pro Causa: quanquam non Luna sit prima Efficiens Luminis; Magnum tamen Orbem noctu illuminare & Magno præesse Orbi debet. Rectè etiam respondetur: quia Magna hominibus ex apparentia externa videbatur. Rectè etiam quò minùs respondeatur, nihil obstat; Spiritum S. hîc Creationem describere hominibus, atque ita ad captum eorum talia dicere. Plurium Scripturæ locorum talis conce-

di

di explicatio poteſt. Non tamen argumentari Copernicæis exinde ſic licebit: Spiritus S. ad vulgi captum loquitur & cum illo balbutit: Ergo non ſecundùm rei naturam & veritatem loquitur; ſed ſecundum erroneam vulgi opinionem. Falſum quippe eſſe Conſequens, quis non videt? ego, quoties non probavi? Probabo tamen., vel ad ſexies coctam Cramben, infra.

XXX. Reſp. At, Virtutis ſeu Operationis ratione, Luna vix à Moſe dicta eſt Magna. Quæ enim præter illuminationem ſeu noctis Præſidium, Lunæ operationes influxivæ tribui poſſunt, de eis inter Philoſophos nondum convenit. Talia verò dubia Lunæ attributa rigidè hîc oſtendere velle, frigidi eſt animi. Menſtruas revolutiones, temporum diſtinctiones & aliâ quod concernit: ſub & in officio ejus Generali, à Deo ipſi demandato, continentur. Quod ſi, has Magnas eſſe virtutes inſtanter volueris, tum tibi concludam: Ergo Sol, ratione Virtutis & operationis ſuæ, quæ Lunæ virtute major longè eſt, ſaltem quoque dicetur Magnus. Amittes parmam. Concides: ſi eouſque proceſſeris.

XXXI. Tales Lunæ Operationes influxivas, ut quia Maria intumeſcere & detumeſcere, Solem obtenebrari, &c. faciat, Judæi neſciebant. Ego quidem valde dubito. Si neſciebant: Ergo Lunam, reſpectu Virtutis

tis & operationis, Magnum Luminare non appellare poterant.

XXXII. Quam igitur sit periculosum, Lunam ratione Virtutis tantùm, & non ratione molis substantialis simul, esse Magnam, dicere, patet. Metuunt quippe Ptolemaici, ne, si molis quantitatem de Lunâ dicant, apparenter eam tantùm esse magnam concedere cogantur. Quas quidem angustias effugere hoc modo non possunt. Sed metus iste vanus est. Nonne simpliciter statuere Lunæ possum magnitudinem: cum dico, Lunam à Mose appellari quantam, primò in se & in genere; secundò in specie, & in collatione ad Solem? Quid prohibet, quominus Mosis sententiam ita resolvam? Nonne hanc Scripturæ veritatem, summâ cum & ingenii & animæ meæ quietatione, retinere possum? Nihil obstat. Certiùs ad hanc parmam cum Copernicæo, de famosâ hacce Materiâ, digladiarer; si ex Sacris eam depromere, & contra stringere mihi liceret.

XXXIII. Neque sese periculo eripit D. Jacobus du Bois, Ecclesiastes Leydensis, Dialogi sui Theologico-Astronomici p. 18. *Dico*, inquit, *Verè ibi respici non ad màgnitudinem corporum, sed ad rationem illuminandi, quia majus Lumen præbent in Terra, quatenus sunt* מאורת *luminaria: quod vel ex ipso Mose clarissimè liquet: nam agi-*

agitur de ea magnitudine, quâ Sol major apparet Luna, at discus Solis non major apparet disco Lunæ; sed multò majus præbet nobis Lumen, ac ea ratione est majus Luminare, quam Luna; quæ etiam ob majus lumen multò majus Luminare est, quam vel Venus vel Jupiter, vel maxima ex stellis primæ magnitudinis. Sed, ita fugienda nobis Charybdis erat, ut non iterum in Sirenes incideremus. Ostendam Scyllam, in quam D. du Bois fertur, nave ad Charybdim allisâ.

XXXIV. 1. Charybdis est: quod præsupponat, altum in S. Scriptura de corporum cœlestium magnitudine esse silentium. Quod quidem de magnitudine in universali verum est. At, in particulari de quibusdam falsum esse, supra ostendi. Syrenes: quòd dicat, agi in Genesi *de ea magnitudine, quâ Sol major apparet Lunâ.* Resp. Forsitan agitur de ea, quæ Mosi, se cum Sole in Spiritu S. contemplanti, apparuit. At unde D. du Bois, apparitionem Mosis eandem cum nostra hodierna fuisse, evincet. Deinde discorum sive Orbium apparentia non semper sibi constat: aliquando enim Lunæ discus in & circa plenilunium oriens apparet major: aliquando Solis etiam, & orientis & sæpiùs occidentis, discus major apparet. Causa est aëris vel nubium variè dilutarum & contemperatarum, Solem—Lunam inter & oculos nostros, intercessio.

cessio. Jam, disci illi Solares quomodo steterint Moysi & apparuerint, quis nobis eruditio erit? Ergo neque discum Solis non majorem Lunæ disco apparuisse Moysi, probabit. 3. Scylla est, quod neget, inibi loci respici ad magnitudinem corporum; sed ad rationem illuminandi, quia majus lumen præbent in Terra. Quot verò scopulos Scylla hæc minatur! Respondeat Clarissimo Wittichio, qui ipsum responsione suâ ad angustias profectò redigit, cum eidem ad argumentum hocce respondet. Responsio hæc in Dissertatione I. cap. 4. art. 7. pag. 56, 57. habetur; quam, quia observatu digna est, apponere hîc volo: & Tibi, Lector Candide, forsitan eandem legere haud displicuerit. Ita verò sese habet:

Resp. *Non tam facilè cedimus adversariis de hoc loco: nam 1. HÆC NON PUGNANT, magnum esse Luminare secundùm potentiam & operationem & secundum apparentiam sensus, uti vidimus hæc ab ab Interpretibus laudatis conjuncta fuisse, imò inter se benè cohærent, & ab una eademque origine fluunt, quia enim Luna nobis est magis propinqua, ideo & major apparet, & majorem operationem in nos exercere potest. Utrumque ergo Moses significare voluit, quod majora appareant ET RESPECTU MAGNITUDINIS*

ET

ET RESPECTU ILLUMINATIONIS, neque posterius sine priori esse potest: Ubi enim major & diffusior lux apparet in ipso corpore lucido, ibi etiam ipsum corpus lucidum majus apparere necessarium puto. 2. *vel ex eo apparet, quod sit* (B. 2.) *LOCUTIO ACCOMMODATA AD SENSUUM APPARENTIAM, quia Luna vocatur Luminare & in eodem Ordine cum Sole collocatur, cum tamen nonnisi* (B. 3.) *ÆQUIVOCE LUMINARE dici possit: quippe tanta, imò major est differentia inter Solem & Lunam, quanta est inter flammam candelæ & lapidem aliquem ejus Lumen reflectentem. Trium enim* (NB.) *generum sunt corpora in mundo, quædam emittunt Lumen, ut Sol, stella, ignis quædam transmittunt, ut aër, cælum, vitrum:* (B. 4.) *QUÆDAM REMITTUNT, ut omnia corpora opaca, Terra,* (B. 5.) *LUNA & reliqui Planetæ. Certum equidem est,* (B. 6.) *LUNAM NULLAM HABERE LUCEM INSITAM, uti apparet satis ex eo, quod tempore Novilunii etiam Tempestate serenissimâ non conspicua sit, nisi quod aliquando Lumen in ea tenue conspiciatur, quod existimandum est esse à Terra ad Lunam reflexum. Stellis autem fixis lucem insitam competere constat; illa ergo procul dubio in se longe major est,*

cum

cum quia est propria, tum quia eorum corpora longè sunt majora Lunæ corpore, sed ob maximam à nobis remotionem & distantiam, fit ut illa lux nobis non ita appareat neque oculos nostros tam feriat. Itaque si absolutè loqui voluisset Scriptura, nullo habito respectu ad sensus nostros & eorum apparentiam.(H.) *LUNA VIX LUMINARE DICI POTUISSET, sed id nominis accuratè loquendo tantùm stellis fixis & Soli fuisset tribuendum; etsi etiam ea, quæ lumen reflectunt saltem æquivocè inter Luminaria sint recensenda, potiori jure Terra pro Luminari habenda, cum lumen longè majus & certius reflectat, quàm Luna, ob magnitudinem majorem. 3. Quando Moses dicit,* Fecit Deus duo illa Luminaria magna, *oppositè ad Stellas, indicare voluit ea majora apparere, tum respectu magnitudinis, tum respectu illuminationis, uti ostensum antea: quando autem postea sequentibus verbis:* luminare majus ad præfecturam diei, & luminare minus ad præfecturam noctis, *comparationem instituit inter ipsa hæc duo Luminaria, quæ oppositè ad stellas absolutè magna dixerat, omnino eum tantum majoris & minoris illuminationis respectum habere concedimus. Atque sic du Bois instantiæ suæ satisfactum videbit.*

XXXV. Vides, ut prostent, ut prospiciant scopuli, Domine du Bois. Navigandum

gandum Tibi præter hos erit scopulos, Obstant eorum Tibi multi. Ultimus superandus mihi est. Descripsi autem eos in Æquore Responsionis Wittichianæ majusculis literis: signavi etiam. Scopulos quidem du Bois literâ, ejusdem nominis initiali, B. Meum verò unicum initiali quoque nominis mei literâ, H. In illos profectò du Bois impinget; si statuerit, in Genesi respicere Mosen, non ad Magnitudinem corporum, Solaris & Lunaris; sed ad rationem illuminandi: quia majus mundo lumen præbent. Meum facilè declino scopulum: imò quoties non eum præter vectus sum? Infra tamen hâc meum sum iterum facturus iter.


XXXVI. Sed, & hîc monere Lectorem, operæ esse pretium duco: Distingui, scilicet, duas istas enunciationes oportere. *Duo Luminaria DICUNTUR MAGNA.* Et, *Duo Luminaria* DICTA SUNT MAGNA. Aliud enim est, quærere: quam ob causam Moses Luminaria ista Magna appellaverit? Aliud item est, quærere: quam ob causam Luminaria ista duo Magna, jam & hodie, appellentur. Quod si observabis, Lector Candidissime, attendes utique & ad sequentia, quæ jam subnecto.

XXXVII. Expendenda sanè mens Mosis est circa hanc materiam. Moses enim Genesin, ut & alios Pentateuchi libros; non

voluntate propriâ, sed Divinâ scripsit. Jam, cùm, duo Luminaria magna esse creata & in Expanso collocata, scriberet; non putandum est, eum Solem & Lunam eo modo considerasse, quo vulgus eum æstimat; id est, apparenter: quia opinio vulgi privata nimis est. Sed dicendum potius censeo, Moysem, secundùm cœlestis Dictatoris ductum & inspirationem, Creationis historiam literis consignasse. Et, cùm scriberet, non eum vulgi captum respexisse; sed ad JEHOVÆ, Collocutoris sui amicissimi eloquia diligenter attendisse. Non certè ad vulgi respexit opinionem: quia extra vulgum fuit. Ubi verò? ex quâ specula Universitatis creationē, cùm eandem describeret, contemplatus est? Dico, eum in Divinâ Ecstasi, seu in Spiritu, admirandum, in æternum admirandæ Systematis hujus creationis, ordinem in Hexaemero distinctè contemplatum esse. Ratio est, quia tam distincta Creationis historia, ab Adamo ad Noachum, à Noacho ad Abrahamum, & sic usque ad Moysen, quasi per manus vix pervenit. Quod qui considerat, ille deprehendit, temerè nimis statui, quòd Spiritus S. rerum creatarum essentiâ & qualitatem ad erroneum vulgi & stolidum sensum opinionemque Moysi dictaverit. Asserat hoc, qui velit; &, cui conscientia durior est. Ego cum Sancto Spiritu & verbo ejus hal-

hallucinari malo utiliter, quàm cum ſapientiſſimis, contra Dei Oracula, ſapere ſubtiliter.

XXXVIII. Cæterùm, tuum adhuc, LECTOR CANDIDE, experiri judicium volo: etiam Te atque obnixè orans, ut hanc mihi mulctam condones; quod Te, potioribus occupatum, adhuc detineam. Audi, quæſo, prius, quod ſentiam; & tum ego tuum quoque lubentiſſimè ſubibo judicium. Poſtulo autem Te, unum. Concede mihi: *Deum Univerſum hocce in momento non creaſſe.* Quod mihi cum omnibus bonis & piis non denegabis. Impetrato, hoc.



XXXIX. Exiſtimo: Moyſen, cùm omnium rerum Nativitatem, præcipuè verò Solis, Lunæ, & aliarum ſtellarum Theo-

oriam, in sua Historiâ, *quodammodo* describeret: Mosen, inquam, contemplatum in Sancto Spiritu esse Universitatem istam, hac sequenti imagine. Quasi Mundus, in ipso actu & instanti Creationis nondum perfectus, ita sese haberet, in quo tenebræ cum luce, adhuc primigeniâ, temperatæ erant. Tempus, neque Nocte neque Die discernebatur, sed omnia tenebris cooperta erant: nisi quod hinc & inde in vasto Chao lumen aliquod confusè, adinstar Crepusculi, seu Gallicinii primi, sese ostentabat. In Rakia verò seu Expanso: Æthere, inquam, (quod indistinctum adhuc cum aëre erat) nulla adhuc Motûs ordinatio, nulla luminis, in ipso Luminarium productionis actu, dispositio erat. SOL & LUNA, Planetæ, cum aliis stellis supra unum Horizontem, tanquam in Cœli Collegio ad Mandatum se sistentes, immotæ & quietæ consistebant: imperium Potentissimi, Sapientissimi Creatoris, Patris Opt. Max. & Officii (quod jam obedienter faciunt) sibi ab Eodem impositionem & demandationem expectabant. Primò enim Deus dixit: *Fiant* Luminaria; deinde, *dividant* tempora vers. 14. Primò Deus *fecit* Luminaria Magna vers. 16. deinde vers. 17. *Posuit* eas in Expanso. Ordine enarratur; ut egregiam hancce Mundi Harmoniam ordine contempleris: ordine scientiam eructes,

Psal.

Psal. 19. 13. Factorem ejus, Ordinis esse Deum cognoscas: ordine denique & Methodicè ejus gloriam cum Cœlis enarres, Psal. 19. vers. 2.

XXXIX. Hæc igitur Cœli sidera, ita sibi à S.Spir. in æthere proposita, Mosen quasi è tenebrosâ speculâ absque cogitatione Terræ vel Hominum, (taceo vulgi opinionis) contemplatum esse; &, secundùm istam Ideam, Creationis Historiam literis consignasse, puto. Sed puto. Tu judica, Lector, & decerne. Si qui aliter sentiunt: suo fruantur judicio: suis prævaleant rationibus.

XL. Mihi quidem talis Corporum Cœlestium productio, & Scripturæ, & Naturæ, & Rationi, si non etiam Experientiæ, verisimilior videtur. *Scripturæ*: quæ, inane & vacuum, quæ abyssum fuisse primùm, dixit. Nos dicimus Chaos, seu materiam confusam, indistinctam. *Naturæ*, quia hæc, quando perfectum producere opus intendit, ab imperfecto exorditur. Quod subigit versatque donec corpori suum ESSE, DISTINGUI & OPERARI reddat. *Rationi & Experientiæ*, quas apud Nobilissimum Virum, Renatum Des Cartes, Princ. Philos. part. 3. legere Tibi, Lector, licebit. Qui, Vir acutissimus, Te admirandâ suâ Methodo Corporum originem & seriem abunde docebit. Sed attendas ei.

XLI. Applico ad mentem meam. Ità Deus primò confusam cum tenebris lucem creavit. Deinde eam in Solis, Lunæ & Stellarum globos redegit, & cuivis astrorum partitim & mensuratim divisit. Atque ita, in planetis & stellis, lucem à tenebris sapientissimè distinxit; quam mutuis deinde vicibus per Mundum diffunderent. Sic enim creatam fuisse lucem, ut tenebris suæ fuerint quoque vices, ex sacra concluditur Historia. Ejusdem mecum sententiæ est Calvinus, in Gen. cap. 1. pag. 3. *Scimus*, inquit, *tenebras tempore fuisse superiores; quum lucem Deus subduxit, hoc erat diem claudere.*

XLII. His autem, num. 38. 39. 40. 41. ita positis & concessis, quid evincam? Evincerem, Moysen Luminaria in se & sua magnitudine, communi & distinctâ; & non in respectu ad stellas, non in ratione ad Hominis, Vulgi, opinionem, MAGNA appellasse. Quam quidem conclusionem, paulò superiùs hujus capitis, abundè demonstrari. Hæc verò, quæ hisce numeris recensita sunt, argumenta ad Lectorem sunto; ejus Candori me meaque submitto.

C A-

CAPUT VII.

Psal. cxv. 15. 16.	*Joël.* 11. *v.*30.
COelum Cæli Domino; Terram autem dedit filiis hominum. Mat.6.v.10. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, ita & in terra.	DAbo prodigia sursum in Cœlo. & signa in Terra deorsum. Eccles. 1. v.14. Vidi. quæ fiunt, vel sunt, sub Sole.

I. PAucis tantùm adducta S. loca attingam: neque enim expedit illa vel attingere, taceo examinare. Expendo loca Scripturæ; sed, quæ Ptolemaicis opitulentur, & Copernicæorum de Centro Mundi refutent, sententiam, non invenio. Neutris hic loci favet. S. Spir. Ptolemaici effata ejus vel impertinenter, vel insufficienter, alibi etiam ineptè, pro Terræ centro adducunt, v. g. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo ita & in terrâ. E. Terra est centrum universi.

II. Nequè quicquam proficimus, dicentes, Cœlum sursum; Terram verò deorsum esse: sive enim Terra Universi centrum, sive Sol sit, Terra semper deorsum; Cœlum semper sursum erit, tanquàm Peripheria magna circa centrum: vel magnum, Solem: vel minutum, Terram.

III. Revius aliquid dicit in iis, quæ Staterae suæ p. 319. apponit: *Addimus*, inquit, *articulum Ascensionis Christi per hanc opinionem inverti. Cum enim Christus non*

XLI. Applico ad mentem meam. Ità Deus primò confusam cum tenebris lucem creavit. Deinde eam in Solis, Lunæ & Stellarum globos redegit, & cuivis astrorum partitim & mensuratim divisit. Atque ita, in planetis & stellis, lucem à tenebris sapientissimè distinxit; quam mutuis deinde vicibus per Mundum diffunderent. Sic enim creatam fuisse lucem, ut tenebris suæ fuerint quoque vices, ex sacra concluditur Historia. Ejusdem mecum sententiæ est Calvinus, in Gen. cap. 1. pag. 3. *Scimus*, inquit, *tenebras tempore fuisse superiores; quum lucem Deus subduxit, hoc erat diem claudere.*

XLII. His autem, num. 38. 39. 40. 41. ita positis & concessis, quid evincam? Evincerem, Moysen Luminaria in se & sua magnitudine, communi & distinctâ; & non in respectu ad stellas, non in ratione ad Hominis, Vulgi, opinionem, MAGNA appellasse. Quam quidem conclusionem, paulò superiùs hujus capitis, abundè demonstrari. Hæc verò, quæ hisce numeris recensita sunt, argumenta ad Lectorem sunto; ejus Candori me meaque submitto.

CAPUT VII.

Psal. cxv. 15. 16.	Joël. 11. v. 30.
Coelum Cœli Domino; Terram autem dedit filiis hominum. Mat. 6. v. 10. *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, ita & in terra.*	Dabo prodigia sursum in Cœlo. & signa in Terra deorsum. Ecclef. 1. v. 14. Vidi, quæ fiunt, vel sunt, sub Sole.

I. Paucis tantùm adducta S. loca attingam: neque enim expedit illa vel attingere, taceo examinare. Expendo loca Scripturæ; sed, quæ Ptolemaicis opitulentur, & Copernicæorum de Centro Mundi refutent, sententiam, non invenio. Neutris hic loci favet. S. Spir. Ptolemaici effata ejus vel impertinenter, vel insufficienter, alibi etiam ineptè, pro Terræ centro adducunt, v. g. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo ita & in terrâ. E. Terra est centrum universi.

II. Nequè quicquam proficimus, dicentes, Cœlum sursum; Terram verò deorsum esse: sive enim Terra Universi centrum, sive Sol sit, Terra semper deorsum; Cœlum semper sursum erit, tanquàm Peripheria magna circa centrum: vel magnum, Solem: vel minutum, Terram.

III. Revius aliquid dicit in iis, quæ Stateræ suæ p. 319. apponit: *Addimus*, inquit, *articulum Ascensionis Christi per hanc opinionem inverti. Cum enim Christus non*

noctu, sed claro die, videntibus Apostolis, (Act. 1. v. 9. 10. 11.) *ascenderit, sanè caput ad Solem erectum habuit; qui si in imo* (intellige in centro) *Mundi erat, non ascendisse Christus, sed descendisse dicendus esset.*

IV. Cui objectioni Cl. Wittichius, Dissert. 11. cap. 2. art. 29. respondet, id scil. sursum dici, quod est super capita nostra; deorsum id, quod est sub pedibus nostris. *Hæ enim*, inquit, *denominationes loci, quales sunt, dextrum & sinistrum, sursum & deorsum, ante & retrò, omnes desumptæ sunt à partibus Corporis nostri: igitur quia* (Christus) *habuit caput versum ad Solem, eo ipso dici debuit ascendisse, quia motus ille versus eum locum, quem caput respiciebat, processit.* Quæ responsio an D. Revio sufficiat, ipse viderit, defendat. Ego nihil aliud concludo, quàm, Terram Universi esse centrum ex Scripturis, probari nullo modo posse. Infirmis quippe hîc, & opponendo & respondendo, proceditur consequentiis; ut pote quæ, opinionem & imaginationem Systematis Ptolemaici præsupponentes, concludunt. At hoc petere non concessum, sed sponte ineptire, est. Et, concederetur sanè nobis à Copernicæis, Terræ immobilitatem ex Scripturâ S. probatam à Nobis esse; tamen, Terram illud Universitatis centrum esse, adhuc negabitur. Quod, nolens volens, fateor.

V. Quæ

V. Quæ cum ita sint, Centrum Universi esse Terram, cum Theologis teneamus; Geometricum interim Copernicæorum Systematis centrum non evertentes. Suæ ipsis constant demonstrationes: item Orbis systema, & magnum Solare centrum. Quas eorum hypotheses rationibus firmatas acceptare nos decebat, quamdiu suam in Scripturas falcem non immitterent. Nihil siquidem refert, an Ecclipses, revolutiones, conjunctiones, oppositiones, & alia, in vel à Copernicæo, vel Ptolemaico Systemate discamus. Alteruter horum amicus nobis esto: qui veriora asseruerit.

VI. Cæterum, quia Physicum etiam sibi centrum concedi Copernicæi volunt, rationibus hic physicis decernere necessum est. Sanctam autem utrimque omittamus Scripturam, quam hactenus ad alterutram Hypothesin temerè detorsimus. Nihil profecimus.

CAPUT VIII.

Loca sunt: alterum 1. Reg. VIII. v. 27. *Coelum & cæli cælorum Te capere (Deus) non possunt.* Alterū, Gen. XI. v. 5. *Descendit autem Dominus, ut videret civitatem & turrim, quam ædificabant filii Adam.* & v. 7. *Venite, descendamus & confundamus ibi linguam eorum.* Esa. LXIV. v. 1. *Utinam dirumperes cælos, ac descenderes! à facie tuâ montes defluerent.*

I. MUlta secundum nostram apparentiam in S. Scriptis dici, nemo negabit. Hanc tamen, quam D. Lansbergius instantiam proponit, balbutiem Spir. Sancti adstrûens: quòd dicatur Deus sæpè cœlitûs *ad nos descenderc, vel à nobis recedere*, cum tamen Deus ubique sit; & cœli cœlorum non capiant eum, 1. Reg. 8. v. 27. assumo. Sensus D. Lansbergii est, ad captum ista nobis & opinionem dici, quia humano more meliùs id percipimus. E. etiam in astruenda Terræ quiete balbutit. Et procederet conclusio, nisi ex particulari quasi extrusa esset.

II. Probatio verò, in tam celebri Controversia, non probatio esse; sed demonstratio debebat. Respondeo, in isto Spiritus Sancti effato Dei præsentia non tollitur; sed modificatur, limitatur, determinatur & ordinatur tantùm.

III. Argumentor: Quicunque modum rei determinat, ille rem ipsam non tollit. At Spiritus S. præsentiam Dei determinat & ordinat tantùm. Ergo eam non tollit. Antecedens Majoris & Consequens, ut & Minor suo stabunt talo, neq;eis contradici poterit.

IV. Quod, ut evidentius radiet, altiori paulò indagine revolvendum erit allegatum, Reg. 8. v. 27. Salomonis pronunciatum. Et Primò quidem, quòd *cæli cælorum*

Deum

Deum non capiant, certiſſimum eſt. Dicitur tamen Deus ad nos deſcendere, nobiſcum converſari, & à nobis iterum recedere. E.Sp. S. rem, noſtræ apprehenſionis gratiâ, diſſimulat & dicit, quod non eſt. At hoc quid niſi mulgere hircū ſuppoſito cribro? verbis nos lactare, rem ſubtrahere? Hypocriticum.

V. Saniùs hæc Theologi explicant docentes, Primò: Deum eſſe quidem ubique *repletivè* & habitare in Cœlo & in Terrâ indefinitè: eundem tamen Deum in Cœlis habitare ſingulariter, ſpecialiter & deſtinatè, quo ſanè modo in Terris & Inferno non eſt. Probatur hoc, Eſa. 66. verſ. 1. Cœlum, ait Dominus, eſt ſedes mea. Pſal. 115. v. 16. Cœli cœlorum *ſunt* Jehovæ; terrâque *quam* dedit filiis hominum. Pſa. 2. v. 4. Dominus in cœlis ridebit. Dices: ad captum hæc noſtrum dicuntur, quia nos Deum in cœlis eſſe putamus. Reſp. Ergo falſum erit, Deum in cœlis peculiariter reſidere. Quæ ratio hæc probabit? quæ religio admittet? Heu pietas!

VI. Secundò, Receptum communiter eſt, dari Præſentiæ Divinæ modos; quos, quia obvii ſunt, non recenſebo. Quibus ſtantibus, abſurdi nihil erit ſtatuere, Deum ad nos deſcendere, & nos iterum deſerere. Per veritatem! nonne Deus peculiariter &, quod magis eſt, perſonaliter etiam ad nos deſcendit ut, Filius Dei ad Abrahamum,

Gen. 18. ut hoſpes: ad Jacobum, ut Athleta, Gen. 32. in carnem, ut geminæ Gigas ſubſtantiæ, Joh. 1. & 3. Ita Spiritus S. in Feſto Pentecoſtes, ſuper Apoſtolos, Act. 1. & 10. Hæccine ad captum? Neutiquam. In rei veritate facta ſunt: ὁ λόγος enim σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, Joh. 1. v. 14. Et, ne apparenter iſta accipiantur, addit Aquila Sancta: καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ. Vidimus, inquit, non putavimus, eum ad nos in carnem deſcendiſſe. Plana ſunt iſta omnia, & perperam ad captum noſtrum reducuntur. Atque ita nondum apparentia, & accommodatio illa Spiritus Sancti ad noſtrum captum, in dictis Scripturæ, quæ Terræ immobilitatem aſtruunt, evicta eſt.

CAPUT IX.

Locus Pſalmi CIV. verſ. 19.

Fecit Lunam ad ſtata Tempora: Sol novit occaſum ſuum.

Matth. 5. verſ. 45.

Sitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt; qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.

I. Primum quod concernit locum, ejus brevem dabimus Exegeſin. *Fecit Lunam*, Noctis Luminare, *ad ſtata tempora*, menſuranda, diſtinguenda, determinanda, quæ ſunt Hora, Dies, Hebdomada, Menſis, Annus

Annus &c. *Sol novit*: cognitione naturali, seu formali; quemadmodum planta suam novit in crescendo mensuram: novit suam in pingendis floribus elegantiam: novit, in efformandis fructibus, lineam: ita Sol certam motus sui mensuram & viam. *Occasum suum*; qui fit objectivè, respectu Terræ partium. Quem verò Lux Mundi elocuta est, Matth. 5. v. 45. Locus, ipsa lux: ipsa, vel infantissimis, facilitas est.

II. Si itaque DEUS Lunam, ad Tempora per motum realem mensuranda atque distinguenda, creavit; tum Solem ad idem quoque officium, eodem modo exsequendum, creatum esse, sequitur, Ratio: quia utrique unum idemque demandatum est officium; quod est, motu suo tempora mensurare, distinguere & determinare. Ineptè verò nimis excipitur: Lunę tempora mensurandi officium impositum sic esse, ut illud per realem præstaret motum; Soli verò, ut per apparentem illud, & sic falsum, præstaret motum: motus enim, apparens tantùm, falsus in se est. Quam verò rationis dabis rationem: exceptio quippe ista tua Sacro peregrina sensui est? Quia Copernicæa Hypothesis, Lunam verè moveri, Solem verò stare immotum, deprehendit. Resp. Ergone sacræ Scripturæ sensus ad Copernici erit formandus Hypothesin? Nefas. Et id quidem à Theologo? Execranda doctrina
cum

cum suo est Doctore. Ea enim sacrarum Nobis literarum esse Majestas debebat, ne vel rationes nostras ejurare, & cum S. Spiritu, de suis testificante operibus, in unam nos conjurare animam pigeret. Majestatis certè postulabuntur læsæ, qui rationibus puris, atque controversis adhuc, armati, in Sancta Dei Sacraria irrumpunt, superisque violatis Præsidem, Dei Sapientiam, in sermonibus suis judicant: homines vano rationum famulitio susfeni.

III. Sol quoque *novit occasum suum.* Verbum, *novit*, strictè si sumas, Tropus eidem, Metaphora, à rebus animatis ad inanimata desumpta, inerit. Novit, inquam, non formaliter; sed materialiter. Cognitione, non quæ viventis est facultas animæ; sed, cognitione naturali: quâ Magnes suum quoque novit, cui sese obvertat, polum, sicuti jam dictum est. Quæ Cognitionis Solaris restrictio ex Philosophia puriori, quæ Cognitionem in Naturalem, Sensualem & Rationalem dividit, desumpta est.

IV. De Occasu porrò tanti Luminaris disceptatur: An Sol verè occidat? Respondeo affirmando, Solem Nobis oriri; quamvis non sibi. Oritur Sol *verè*; quia verè (cum Spiritu S. sentio & loquor) movetur. Oritur non Sibi: neque occidit Sibi; Sed Nobis. Nos videmus: nos dicimus, etiam Solem suum (quem novit, & quo-

quomodocunque eundem , sive à sua formâ intrinseca , sive ab extrinseca causa impellente, à suo cœlo sese rapiente , perficiat) motum circa Nos , Terram quotidie absolvere.

V. Objicitur autem à Clarissimo Wittichio , Soli ortum & occasum propriè tribui non posse , Dissert. II. cap. 6. art. 29. Cujus rationem se Art. 14. dare dicit , quam ego articulo 15. lego. Sed ibi magis asserit, quam probat. Tandem verò probat ; sed probat tantùm , & non demonstrat : quia falsam præsupponit & nunquam sibi concedendam Hypothesin ; quòd scilicet *Sol*, si verè oritur & occidit , *quasi sub Terram condatur, eam ferè attingendo ibique usque ad exortum , desidis adinstar , latendo.* At non sequitur : si Sol verè oritur & occidit , tum sub Terram, eandem attingendo, conditur, tanquam deses, seu defatigatus.

VI. Nihili quoque est, quod l.c. dicitur: Solem , secundùm Ptolemaicum systema , non propriè oriri ? 1. Falsum hoc est, si simpliciter sumatur. Ptolemaicum quippe Systema, non Terram , sed Solem oriri formaliter docet. 2. Do instantiam. Luna & Sol *sibi* non lucent. Ergone impropriè lucent , atque ita falsò ? Quæso , nonne ortûs proprietas in motu consistit naturali ? Et nonne Sol verè oritur , quando Mundo , Nobisque oritur ? etiamsi *sibi* & in sua pe-

riodo non oriatur, neque occidat; ſed tantùm, circulum ſuum continuando, ex unâ vicinia in alteram, moveatur.

VII. Diſco itaque hinc: Qualis ſit Solis ortus atque occaſus? Nimirum objectivè realis; quem ad Horizontem aliquem & Homines reſtringas. Oritur Sol, quando noſtrum aſcendit Horizontem; & ideo, verè eundem & realiter oriri *Nobis*, dicimus. Occidit Sol, quando Noſtrum deſerit planum. Quò verò cadit Sol, poſtquam occidit? Reſp. In ulteriorem ſui circuli viciniam, ſeu partes lineæ ulteriores. Nequaquam autem ex propria hujus S. textus expoſitione ſequitur, Solem ſuum noſſe occaſum in Orbis extremitate, quæ Cœlo ipſi contigua ſit. Neque hancce Orbis extremitatem nos concipere tali poſſe modo, rationibus, num. 3. aliquot, probavi.

VIII. Quæ verò fuerit Judæorum vulgi, de *Extremitatibus Terræ*, ſententiam aperiam: 1. Certum & cuivis obvium id eſt, vulgum hodie quoque Terræ Extremitates concipere. Imò melioris luti & lucis homines, Eruditi, idem cum vulgo faciunt. Sed non abſurdam illam & infinitam Terræ extenſionem & planitiem, ſe ad uſquè cœli ipſius ſiderei contactum protendentem, concipimus. Quales verò concipimus, cum Judæorum vulgo, Terræ extremitates? Reſp. Illas, quæ Mari quaquavorſum termi-

minantur, lambuntur, distinguuntur, clauduntur. Exempli causâ: Italiam, (cujus linea pedem mortui hominis pingit) nec non Hispaniam, cum Herculis columnis, Terræ extremitates ab Occidente omnes concipimus. Ratio conceptûs & formalitas est: 1. Quia mari ab illâ clauduntur parte. 2. Quia nullam ultra cum Judæis concipimus. Hodie, Americam etiam.

IX. Deinde: quando, occidere Solem, cum Sacris dicimus literis, ne in absurditatem, num. 7. propositam, cum Lactantio (si tamen & hæc verè & taliter ejus fuerit) incidamus; distinguendum erit inter extremitatem Terræ & extremitatem Orbis. 1. TERRAE *extremitates* cœlum contingere, nemo concipere formaliter, ne quidem ex vulgo quispiam, potest; sed, si concipit, concipit tantùm: veluti ego materialiter, & sine ulla ad verum dispositione, Solem Triangularem, Lunam cubicam, Terram dodecaëdratam, & quæ non absurditatum carcinomata, concipio. 2. ORBIS *Extremitates* autem cœlo contiguas formaliter etiam, & cum aliquâ ad verum dispositione, forsitan concipiemus. Sed (α.) Systematicum, unà cum Elementis & Aëre, præsupponamus Orbem. (β.) Cœlum in & ab ipso Aëre, secundùm generalem Scripturæ sensum, incipiat, necessum omninò est.

X. SOL itaque naturali cognitione novit occa-

occaſum & ortum ſuum, verum & realem: quanquam Ortus & Occaſus in objecto, non autem in ſubjecto Solis, proprie ſit. Rationem igitur à toto poſcetur Orbe D. Wittichius ſuæ, quam in locum huncce Differt. II. cap. 6. art. 29. edidit, explicationis. Ita autem Reverendo du Bois l.c. reſpondet: 2. *argumentum à comparatione Solis cum eò, qui omnia ex ſuâ cognitione agit eſt imbecillum: comparatio enim illa ulterius extendi non debuit, quàm hucuſque, quod Soli occaſus* OBTINGAT *non aliter, ac ſi cognitione præditus omnia ad illum ſubeundum diſpoſuiſſet.* 3. *Pſalmiſtæ ſcopus hic eſt, oſtendere ex operibus Sapientiam & Providentiam divinam elucere, quod inter alia etiam exemplis Lunæ & Solis declarat, quibus ſtatis temporibus occaſus & ortus obtingant, & præterea Lunæ variæ phaſes, novilunium, &c. & ſic per utraque hæc gloria Divina revera probatur, quod tam ſapienter omnia ordinaverit, ut ſtatis temporibus hæc illis contingant. Neque aliquid gloriæ Dei detrahitur, ſi dicatur: Soli occaſum ſuum convenire per motum apparentem, illâ enim ex eo elucet, quod Deus per leges naturæ eum fixum & certum conſtituerit.*

XI. Quid hîc Eccleſiaſti Leydenſi du Bois reſponſum, ſit paucis attingam, Negat autem D. Wittichius argumentum à Comparatione Solis cum eo, qui omnia

ex sua agit cognitione, esse validam. Quæ ratio? Quia comparatio illa ulterius extendi non debet, quàm hucusque, quòd Soli occasus obtingat non aliter, ac si cognitione præditus, omnia ad illum subeundum disposuisset. Resp. Verba sunt data Ecclesiasti; non autem res: quia responsio omnino nihil ad rem facit. Ostendenda erant: 1. Sacræ Comparationis imbecillitas in argumentando. Sacræ, inquam, non cujusvis alterius. Non ostensum. 2. Solem physicè motûs sui Ortum & Occasum nescire. Hîc verò altum de eo silentium. Dicam. Sol est corpus naturale, cœleste, subtile, luminosum, &c. Si corpus? Materiâ constabit & Formâ. Si naturale? Formales quoque & naturales habebit operationes. Quæ cum in veritate sint, demonstro. Solem habere cognitionem naturalem. Et, Solem occasum suum noscere naturaliter: per se, id est, per suam intrinsecam formam, quæ Natura est. Non autem id cognoscit sensualiter, uti bruta: neque rationaliter, uti homines. His itaque præcognitis, Comparationem naturalis Solis cognitionis cum humanâ conferamus cognitione. Sonat. Quemadmodum Intelligens omnia ex cognitione agit: ita Sol suum novit occasum eundemque peragit. Comparationis subjecta sunt, Intelligens & Sol. Conveniunt autem in uno tertio:
quod

quod Convenientiæ tertium, & ſcopus eſt, vera rerum cognitio. Ambo realiter, & verè cognoſcunt. Intelligens tamen naturaliter & rationaliter: Sol naturaliter tantùm; verè tamen & realiter. Novit itaque ſuum SOL motum: ſive is proveniat à principio ejus, formaliter; ſive à Cœlo ipſum in ſuâ periodo deferente.

XII. Accuſandus hîc 1. coram Euſebia Clariſſimus Wittichius erit. Cauſæ ſunt. Quod Sacratiſſimorum Oraculorum Comparationes eorundemque ſcopum in dubia Copernicæorum Hypotheſi, non ſine Principii petitione, coarctet. *Comparatio*, inquit l. c. *illa ulterius extendi non debet, quàm hucuſque, quod Soli occaſus OBTINGAT non aliter, ac ſi cognitione præditus omnia ad illum ſubeundum diſpoſuiſſet.* (α) Violata hîc ſimplex Scripturæ phraſis & interpretatio. Cum enim SS. moveri Solem dicit, & ipſum demandatum ſibi in creatione noviſſe motum & occaſum: D. Wittichius invertit, Soli motum obtingere. (β.) Obteſtor Vos, cujuſcunque eſtis Sententiæ, Eruditi, ſacræ hujus Comparationis contractæ an legitima, & non potiùs violenta, ſit explicatio. Corrigendam ſic puto: *Comparatio illa ulterius extendi non debet, quàm hucuſque, QUOD SOL OCCASUM SUUM NOVERIT; non aliter, ac ſi cognitione RATIONALI præ-*

præditus, omnia ad illum ſubeundum diſpoſuiſſet. Conferas, quæſo, LECTOR, duo iſta implicitæ hujus Similitudinis ſubjecta; & eorum erit convenientia, τὸ *noſcere.* Quia autem Simile fit etiam diſſimile: præcide modum (*rationaliter*) à cognitione; & relinquetur naturalis cognitio, quam utraque realiter habent? Homo etiam Curſor, rationaliter.

XII. 2. Rationem quoque Vir doctiſſimus coram Philoſophorū poſcendus Collegio eſt: quòd neceſſarias & formales corporis naturalis operationes *Contingentes* fecerit; imò ſic omninò ſuſtulerit. Rationes ei binas proponam. 1. Si Soli occaſus obtingit tantùm, ſequitur quòd SOL occaſum ſuum neſciat. Admittis, vel contra Sacra oracula, conſequentiam? Pergo. Si Soli occaſus obtingit, ſequitur: Solis occaſum, non eſſe Solis occaſum. Ergo Sol cognoſcit τὸ *non ſuum.* Ratio illationis eſt: quia Terra (ex Hypotheſi Copernicæa, à Wittichio pro nimis verâ; adeoque infallibili, aſſumtâ, ut etiam S. Spiritui, in ſua materiâ loquenti, audacter præſcribere non dubitet; quod tamen in ſuâ tantùm Aſtronomica Diſciplina facere debet.) quia, inquam, Terra circa Solem, in centro hærentem convolvitur. Ergo Terræ occaſus, & non Solis, erit. Ergo Terra ſuum novit occaſum. Lubenter, ſcio, hanc admittet illationē D. Wittichius. At antiqua Scriptu-

pturam explicandi fides ubi? Exulat. Candor? absorptus in Hypothesi est. At Theologum vel ipsam ejurare decebat rationem; quæ tamen tam sacræ assertionis causâ litigiosa adhuc atque dubia est. Dedisti rationibus tuis Deum; Deo ne reverentiam quidem. Digniores nobis, Vir Clarissime, sacræ esse literæ, debebant, quàm ut eas tam temerè, tam dignè in tractaremus. Sed compertum habemus, Ancillam quandòque Dominæ insultasse? Factum id sæpius. Prohibeamus ultra.

XIII. 2. Quod ad tertiam attinet responsionem? Falsum est, quod ex creaturis nobilioribus, Sole & Luna, Psalmista generaliter Sapientiam & Providentiam, & sic gloriam Dei deducat. Hîc enim Sol & Luna, DEI creaturarum sunt species. Ergo specialem quoque hîc DEI deprædicant Sapientiam. Quando herba Deum præsentem refert: objectivè DEI Sapientiam, Providentiam, Gloriamque deprædicat. At Sapientia ista & Gloria est generalis. Ergo. Qualis autem horum ad Verba Psalmi convenientia erit? Deus enim ibi glorificatur ex eo, quòd tam sapienter Solem & Lunam suæ virtutis creaverit verbo: ut ille ortum & occasum; hæc vicissitudines: non *obtingentes*, sed necessarias, naturales & sibi increatas: non apparentes; sed veras, naturaliter agnoscant.

XIV. 3.

XIV. 3. Quales, quæso, istæ sunt enunciationes : *Obtingere Soli occasum* : &, *Solem noscere SUUM occasum*? Quia Sol corpus est naturale & necessarium; ipsi autem operatio contingens tribuitur: ideoque implicant. Aperta est Contradictio. Expendamus. SOL, non Terra, *novit*, naturaliter, quomodo planta suam novit altitudinem, pulchritudinem virtutesque. *Occasum* : in sua peripheriâ sese, versus aliquod Terræ Hæmisphærium, ex una vicinia in alteram promovendo. *Suum* : id est, suæ essentiæ, suæ formæ &, quam ipsi Creator indidit, naturæ : suum *non* Terræ, occasum novit: quemadmodum & Luna suum, & non Terræ, ortum, occasum, vicissitudines novit.

XV. Interrogatos hîc omnes, cujuscunque sint Sententiæ, Philosophos & Mathematicos ; rogatos quoque volo, judicent, decidant. 1. An ista Sacri Textus explicatio genuina sit? an convenientiam aliquam seu speciem veri habeat : an aliquo tantùm modo admitti possit, & salvâ Spiritûs S. Veritate, nostræque conscientiæ innocentiâ tolerari queat? 2. An, (stante explicatione hac) de Sole dici verè possit, occasum eidem obtingere? Si enim SOL in centro immotus resìdet: quomodo de eo occasus dicetur? Non propriè: quia immotus centro inhæret, & sic implicat. Neque Metaphoricè,

cè, item objectivè: quia Soli id sese moventi duntaxat competit. 3. An Terræ, motu eidem diurno dato & concesso, ortus & occasus competat: &,an, Terram sic oriri & occidere, possit dici? 4. An variæ phases, novilunium, plenilunium, Ecclipsis, Lunæ contingant? Ubique hîc impingitur. Lectoris autem, ad tria hæc sententiam summis cum votis expecto.

XVI. Denique: quod D. Wittichius: subjungit, nihil scilicet Dei detrahi gloriæ, si dicatur, Soli occasum suum per apparentem convenire motum: quia illa ex eo elucet, quòd Deus per Naturæ leges eum fixum & certum constituerit. Excusatio præpostera est. Nulla responsio. Falsa omnia. Attende, LECTOR, ad ea, quæ dicam. 1. Sancti Dei viri in V. T. Deum, laudabant, quòd Deus Solem & Lunam ipsis oriri quotidie faceret. Excipitur, quòd laudaverint Deum, pro Ortu Lunæ reali; pro Solis verò apparente. At, quæ hæc sancti textùs & Veritatis est perversio? Sine ullâ Scripturæ ratione vel autoritate de Sancti Dei populi mente, ex Hypothesi Mathematicâ, judicare: cujus frontis est audacia? Nos, quibus Copernicæa Hypothesis jam in ipsâ innotuit Prætextâ, nunquam hæc de Sole vel somniare ausi: taceo, in precibus & laudibus ad Deum, ita distinguere ausi sumus: obmutesco, Sanctam

Israë-

Iſraëlis devotionem, ad dubiam adhuc & litis magnæ Hypotheſin, detorquere. Ebria terrenis fæcibus Ratio quæ non audet! DEI, Iſraëlis Magiſtri, judicat Sapientiam.

XVII. 2. Sancti DEI Viri, cum univerſo Iſraëlis populo, coram Domino, quæ ſuper Cœlum & Terram fecit, opera contemplabantur, Pſal. 8. v. 4. Contemplatam operum veritatem Nomini ejus confitebantur, Pſal. 33. v. 2. Pſal. 92. v. 2. *Bonum*, inquiunt, *eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo, Altiſsime.* Cur verò bonum eſt? Reſp. v. 5. *quia delectaſti me Domine in factura tua: & in operibus manuum tuarum exultabo.* Pſal. 136. 1. *Confitemini Domino* &c. v. 2... 5. 6. 7. 8. 9. Eumque, propter infinitam Sapientiam, Potentiam & Veritatem, laudabant, Pſal. 148.

XVIII. Stante igitur D. Wittichii exceptione, ſequetur inexcuſabiliter, 1. Sanctos DEI Viros opera Dei, erroneè percepta, falſò coram Deo jactitaſſe: falſò, Solem & Lunam ſuos noſcere Ortus & Occaſus, confeſſos eſſe. Concludam, quod miraberis, adhuc. 2. Ergo, quam Sancti Viri & populus Iſraël Deo reddebant, laudatio & Gloria vana & nulla fuit: quia non ex veritate provenit; ſed in errore & falſitate ſuperſtructa fuit.

XIX. 3. Ergo illa Judæorum devotio quâ Solem ſuum noſcere occaſum, Deo

E con-

confitebantur,eumq; ideo laudabāt, purus, error & putus erat? Ratio: quia,secundùm D. Wittichii inversionem, *gloria Dei ex eo elucet, quòd Deus per leges naturæ Solem fixum & certum constituerit.* Dato uno absurdo, sequuntur infinita. Vincunt sanè, si cuipiam placet,Rationalistæ. Egregia verò Scripturæ spolia domum, ut apparet, reportant. Si tu, Eusebia mea, verbum & Laudes Domini in operibus ejus taliter distingueres: ego te ex mei pectoris canalibus in perpetuum proscriberem, ab iisque æternùm prohiberem.

XX. Rectos decet collaudatio, Psal. 33. v. 1. Collaudandus igitur Orbis erat Dominus. Et, non secundùm rationis, vanitatis, inquam, nostræ opinionem; sed sapienter. Psallite Deo nostro: psallite SAPIENTER, Psal. 47. vers. 9. Sapienter hîc & rationaliter Deum in operibus suis laudare: sapienter, & non erroneè: sapienter, secundùm revelatam operum veritatem; & non opinionem ratione imaginatam, enarrare jubemur.

XXI, Atque ita D. Wittichius Reverendo Leydensi nihil quicquam respondit. Quod cum ita sit: adhuc ipsum cum Reverendo urgeo. Dicat, quæso, D. Wittichius rationem · *Quænam esset* (verba sunt R. D. Jacobi du Bois Ecclesiastæ Lugduno-Batavi, quæ in Dialogo Theol. Astronomico

pag.

pag. 29, lego) *in eo probabilitas, quod in exaltatione operum Dei in Luminaribus cælestibus, in uno referretur, quod ei REVERA inest, in altero quod TANTUM APPARET inesse? nam eo posito sequetur medium prius REVERA esse probativum gloriæ Divinæ, posterius TANTUM APPARENTER.*

Sed, ad alterum Capitis hujus Locum, properandum mihi est.

XXII. Ad verba Matth. 5. v. 45. quod attinet, illa sic sonant: *Estote filii Patris vestri, qui in cælis est: qui SOLEM suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Quod sacratissimum Salvatoris, de Sole & pluvia, effatum dissectum à D. Wittichio est. Alterum, ad vulgi errorem; alterum ad veritatem & rem ipsam esse dictum, dicitur. Ineptissimè dicitur: quia sine ratione. Dicet forsitan Eusebia, impiissimè: quia, cùm nulla differentiæ ratio dari unquam possit, tamen tam simplicibus, claris & captu facillimis, Christi verbis contradicitur. Nunquam Tu, D. Wittichi, vel Copernicæorum quispiam, propositiones vestras tam claras, tam simplices tam faciles, edidistis. Probate Vos; Tutemet autem in tuis dissertationibus, singulariter. Veritatem refugis; ideòque in tot delaberis angustias: ex quibus Te, nisi Eusebiam amplexus mecum fueris, nunquam expedies.

XXIII. Reverendus Leydensis rectè hunc, contra Copernicæos, ursit locum, l.c. pag. 30. *In verbis*, inquit, *D.N. J.C. Matt. 5. vers. 45. hoc notatu dignum est, eum non alio modo loqui de Dei beneficio primo, quod Solem oriri faciat, quàm de secundo, quod pluat. Atqui & pluere necessairio intelligi debet de reali communicatione beneficii, & non de mere apparenti, ergo & similiter τὸ facere oriri de reali & non merè apparenti collatione beneficii exponi debet.*

Quid verò ad hæc responsum à D. Wittichio, loco suprà citato, est? Nihil minus quàm responsum. Apponam Lectori: ut conferat, judicet & decidat. 4. *Non majoris*, inquit, *roboris est argumentum ex Matt. 5. petitum: Agnosco equidem Christum hic beneficium utrobique reale Dei Patris prædicare, pluviæ nempe casum & illuminationem Terræ calefactionemque Sole oriente: neque enim Solis ortus, quà talis, sed consequens ejus propriè beneficium Dei erga homines dici debet. Sed nihil impedit, quò minùs hæc duo beneficia diversis modis hominibus obtingant, alterum per pluviæ casum in Terram, alterum per Terræ conversionem ad Solem.*

XXIV. Respondendum hîc Leydensi erat Reverendo, & probandum: Christum in suis istis verbis aliter de Solis ortu, aliter de pluviæ casu loqui. Probatio autem

&

& reſponſio diſſimulatæ ſunt. Scripturæ argumentum, in teſtimonium allatum, à D. Wirtichio extenuatur; ſed & ſuum ipſe arenæ inſternit. *Beneficium* Dei Patris eſſe reale, agnoſcit. Forſitan: quia illud non apparet immediatè; prædicatur tamen à Chriſto? *Medium*, exhibendi beneficium eſſe reale, negatur: *neque enim Solis ortus, quâ talis, ſed conſequens ejus propriè beneficium Dei erga homines dici debet.* At, quid rationis habet? 1. Quòd medium, ſeu exhibendi beneficii materia ipſum non ſit beneficium? Nonne, cui aureorum mille dono, pixidem ſeu loculos eidem addo? Nonne pluviâ Dei, & ſingulare quidem, donum eſt? Petimus pluviam à Domino: petimus ſerenitatem. Do ex ſacris inſtantiam. Fides eſt medium apprehendendi Chriſti meritum; quod eſt beneficium. Ergone fides non eſt beneficium Dei? Nonne Sancti eſt Spiritûs donum?

XXV. Quid prohibet, Solis ortum hominibus à Deo datum eſſe beneficium, dicere? Nonne vel ipſe Sol noſtrum, quod à Creatore habemus, eſt beneficium? Et reale quidem. Quis unquam ſic eſt argumentatus? Quis bonus hanc admittet S. Textûs enarrationem, *Deus dat nobis beneficium verum, per medium apparens, & ſic falſum?* Sic eſt. Sapientiæ ſapientia in quam nos non præcipitat dementiam!

XXVI. Agnoſcit, præfatus Autor, Dei beneficium; ſed illud non rectè & diſtinctè percepit. *Agnoſco*, inquit, *beneficium utrobique reale Dei Patris prædicare, pluviæ nempe caſum & illuminationem Terræ calefactionemque Sole oriente*. Confert hîc Autor Solis illuminationem cum pluviæ caſu in generali Dei beneficio. Sed malè. Non quippe Solis illuminatio, quod Sol Terram illuminet; ſed *Solis ortùs* hîc cum *pluviæ caſu* in uno Dei confertur beneficio. Apprehende, LECTOR, diſtinctè prædicata cum ſuis ſubjectis, eaque ordine diſpone, ut ſequitur: SOL, (ſubjectum) *oritur, illuminat* (prædicata ordine manantia.) Et: *PLUVIA*, (ſubjectum) 1. cadit. 2. humectat, (prædicata ordine è ſubjecto fluentia.) Si ergo de Pluvia dicis primò caſum: dicas etiam de Sole primo ortum. Cum deinde de Sole illuminationem dicis: tum de pluvia quoque humectationem dicas; & ſic conſequenter.

XXVII, Hinc igitur Tibi, LECTOR, conſtabit, in D. Wittichii l. c. expoſitione commiſſos eſſe Elenchos 1. Comparatorum. Confer, quæſo, iſta: Pluviæ caſus & Solis *illuminatio*. 2. Diviſionis: confunduntur enim, quæ diſtinguenda neceſſariò erant. 3. Fallaciam à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter: non enim, ut probatum jam eſt, Chriſtus Solem beneficium eſſe, dicit

cit illuminationis ratione; ſed Ortûs ratione. Quibus, quia contradici nequaquam poteſt, concludo: Ergo Chriſtus hîc loci non illuminationem Terræ tantùm; ſed ipſum etiam Solem; ſed ortum Solis etiam, noſtrum eſſe dicit beneficium.

XXVIII. *Sed nihil*, D. Wittichius pergit, *impedit, quo minus hæc duo beneficia diverſis modis hominibus obtingant, alterum per pluviæ caſum in Terram, alterum per Terræ converſionem.* Reſp. 1. In Fallaciam plurium Interrogationum rurſus impingitur. Non eſt nobis quæſtio: An illa Parentis Optimi beneficia hominibus diverſis modis obtingant? ſed quæſitum eſt, & quæritur adhuc: An, ea ſic hominibus contingere, Patris dicat Sapientia? Quia verò duo iſta beneficia exhibendi, Deo; accipiendi verò Hominibus modos præſcribis: ideoque Principium 2 petiiſti: hoc enim tibi conceſſum nondum eſt. Et, quod tu aſſumis, apud nos falſum primum eſt.

XXIX. *Nihil impedit*, inquis, *quominus iſta duo beneficia taliter hominibus obtingant?* Impedit certè, *mea Tibi reſpondet Euſebia*, tuam hanc vanitatem Chriſtus, Verbum ejus, tota SS. Scriptura, Ratio. Quas enim contra attuliſti rationes: rationibus aliis repulſæ ſunt. Quia verò ad Scripturæ interpretationem Spiritus S. ſenſum non attuliſti; ſed rationes hominum,

 ipſis

XXVI. Agnoſcit, præfatus Autor, Dei beneficium; ſed illud non rectè & diſtinctè percepit. *Agnoſco*, inquit, *beneficium utrobique reale Dei Patris prædicare, pluviæ nempe caſum & illuminationem Terræ calefactionemque Sole oriente.* Confert hîc Autor Solis illuminationem cum pluviæ caſu in generali Dei beneficio. Sed malè. Non quippe Solis illuminatio, quod Sol Terram illuminet; ſed *Solis ortùs* hîc cum *pluviæ caſu* in uno Dei confertur beneficio. Apprehende, LECTOR, diſtinctè prædicata cum ſuis ſubjectis, eaque ordine diſpone, ut ſequitur: SOL, (ſubjectum) *oritur, illuminat* (prædicata ordine manantia.) Et: *PLUVIA*, (ſubjectum) 1. cadit. 2. humectat, (prædicata ordine è ſubjecto fluentia.) Si ergo de Pluvia dicis primò caſum: dicas etiam de Sole primo ortum. Cum deinde de Sole illuminationem dicis: tum de pluvia quoque humectationem dicas; & ſic conſequenter.

XXVII, Hinc igitur Tibi, LECTOR, conſtabit, in D. Wittichii l. c. expoſitione commiſſos eſſe Elenchos 1. Comparatorum. Confer, quæſo, iſta: Pluviæ caſus & Solis *illuminatio*. 2. Diviſionis: confunduntur enim, quæ diſtinguenda neceſſariò erant. 3. Fallaciam à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter: non enim, ut probatum jam eſt, Chriſtus Solem beneficium eſſe, dicit

cit illuminationis ratione; sed Ortûs ratione. Quibus, quia contradici nequaquam potest, concludo: Ergo Christus hîc loci non illuminationem Terræ tantùm; sed ipsum etiam Solem; sed ortum Solis etiam, nostrum esse dicit beneficium.

XXVIII. *Sed nihil*, D. Wittichius pergit, *impedit, quo minus hæc duo beneficia diversis modis hominibus obtingant, alterum per pluviæ casum in Terram, alterum per Terræ conversionem.* Resp. 1. In Fallaciam plurium Interrogationum rursus impingitur. Non est nobis quæstio: An illa Parentis Optimi beneficia hominibus diversis modis obtingant? sed quæsitum est, & quæritur adhuc: An, ea sic hominibus contingere, Patris dicat Sapientia? Quia verò duo ista beneficia exhibendi, Deo; accipiendi verò Hominibus modos præscribis: ideoque Principium 2. petiisti: hoc enim tibi concessum nondum est. Et, quod tu assumis, apud nos falsum primum est.

XXIX. *Nihil impedit*, inquis, *quominus ista duo beneficia taliter hominibus obtingant?* Impedit certè, *mea Tibi respondet Eusebia*, tuam hanc vanitatem Christus, Verbum ejus, tota SS. Scriptura, Ratio. Quas enim contra attulisti rationes: rationibus aliis repulsæ sunt. Quia verò ad Scripturæ interpretationem Spiritus S. sensum non attulisti; sed rationes hominum,

 ipsis

ipsis adhuc hominibus controversas, Sacrorum pollutorum postulaberis. Famulam præposuisti Dominæ. Immeritò. Quod S. Scriptura de Sole & Terrâ toties dicet, nihili facis. Toties Sacra ista Domina dicit: Terra fundata est: Terra stat: Sol stetit: expectavit: non festinavit occidere: currit, tanquam cursor ad viam fortis: oritur: novit occasum suum. Plurima recensenda adhuc essent. Omnibus autem istis pertinacissimè nequam remurmurat Famula: Ratio. Relinqueret sanè petulans sibi serva privatim, quæ Dominæ autoritati publicè non derogant. Nemo eam criminis, ne ipsa quidem Domina, credo, postularet.

XXX. Atque ita hîc quoque insufficientiam suam Copernicæi & D. Wittichius, vident. Librum huncce Primum dum claudo, paucis suadeo: claudendum utriusque Sententiæ propugnatoribus Sacrum esse Codicem; Librum verò Naturæ, ex quo sua demonstrent, aperiendum. Optat id Dei Gloria: expetit pietas: desiderat Charites: suspirat docendi conscientia. Fiat!

AMEN.

CAPUT X.

SEU

APPENDIX,

AD CAPUT III. Locum scilicet, Psal. mi XIX. v. 6. Ubi disquiritur. *Num ex literali Psalmi hujus expositione sequatur: Solem, juxta sententiam Augustini, Lactantii figmentaque Veterum Poëtarum, dimidiam Orbis Terreni tantùm illustrare partem?*

I. Literaliter sensum Psalmi v. 6. accipere neutiquam possumus; sed sensualiter. Sensus autem est: Quemadmodum Sponsus è thalamo suo exultans & gloriosè egreditur: ita Sol ab extremitate Cœli viam decurrit. Similitudo hæc vera, quia in Comparationis natura fundata est. Enarratur: Sol, tanquam Sponsus procedens de thalamo suo, lætatur tanquam robustus decursurus viam. Enunciatur: ita, ut verba, *Sol tanquam sponsus procedens de thalamo suo*, subjecto includantur, sequentia verò, *lætatur tanquam robustus decursurus viam*, constituant prædicatum.

II. Locutiones vulgares in Comparatione istâ esse plures, videmus. Sed quas Spi-

ritus S. vulgò accommodavit captui; non verò, quas vulgus in opinione antè præconcepit. Miratur verò Clarissimus Wittichius, (cum quo mihi jam, & mox cum D. Lansbergio etiam res erit) Differt. 11. cap. 6. art. 15. Quòd, cùm tot vulgares hîc exstent locutiones, Reverendus D. Jacobus du Bois huic loco innitatur? Non est quod mireris, Vir Doctissime: habuit enim Vir ille suas rationes. Ego Te admiratione istâ liberabo.

III. Inhæreo, inquam, huic & ego Textui, ejusdemque sensui. Neque me vulgares movent locutiones; sed iis cum D. du Bois innitor. Dico autem 1. τὸ vulgare hîc non subjectivè, pro locutione vulgi; sed objectivè, pro locutione ad vulgum, sumi. Ratio, quia locutio illa non est vulgi, sed Spiritus Sancti: non opinio vulgi; sed sermò loquentis ad vulgum Dei. Dices; vulgus istas locutiones præconcepit; ideoque secundùm illius ista captum sunt dicta? Resp. Falsum est Antecedens: namque opinio de Solis tentorio plebeis ingeniis impossibilis erat, est. Probo & hoc (α) quia Idea talis neque cum sensu rei convenit, neque vulgari captui est apta (β.) Idea, quæ Solis, vel in Æthere, vel in Orbis Terræ fine & quidem, uti, vulgum putasse, Wittichius, vult, in ipso Terræ cum Cœlo contactu contiguo, concipit tabernaculum, materialis tantùm (purum putumque objectum) est;

eſt ; non verò formalis : quia formalitas iſta vix concipi quidem poteſt. Ergo non eſt vera Idea. Neque poſſibilis: ut quæ in ratione non fundatur (γ.) Idea iſta, ab ingenioſiſſimis etiam Poëtis aliiſque ingeniis, vix ac ne vix quidem concipi poteſt. Ergo neque à vulgo inerte, non conſiderante. (δ.) Si itaque phænomenon iſtud vulgi phantaſiæ ineptum fuit. Ergo iſtud tentorium vulgus non præconcepit ; ſed, Ergo tentorium iſtud Spiritus S. primus præconcepit ; ſumtamque à Thalamo ſignificationem nativam Solis ortui & occaſui applicavit, determinavit. Determinatam ſic & applicatam vulgo elocutus eſt orationem, eamque phantaſiæ & judicio ejus impreſſit: quam tamen, ſibi ſic propoſitam, & vulgarem, locutionem, eruditus jam à Spiritu S. vulgus capere adhuc non poteſt. Concludo. Ergo locutio iſta eſt *vulgaris* : non ſubjectivè ; ſed objectivè.

IV. (ε) Quod ſi cum Auguſtino à parte eorum ſtare volumus, qui Typicè iſta & ſpiritualiter interpretantur : eſſe hîc argumentum ad Chriſtum, dicemus. DEUS, nimirum, Chriſto, cujus egreſſus ab æternitate, Soli Juſtitiæ, Mal. 4. v. 2. præparavit in cœlo, & tempore gratiæ, B. Mariæ Virginis uterum caſtiſſimum ; ex quo, Eccleſiæ Sponſus & geminæ Gigas Subſtantiæ, Nobis orirerur, noſque, qui in peccatis obri-

gueramus, sanguinis sui calore recrearet.

V. 2. Distinguo inter dictiones vulgares; & locutiones vulgares. Priores hîc loci admitto: posteriores nego. Negationis rationem supra, Num. 3 dedi. Priores confirmo. Comparatio enim Psalmi ista est desumpta à propriis, & ideò à notioribus & vulgarioribus, rebus: & applicata ignotioribus & non vulgaribus. Et, perpendant Eruditi: an rusticorum aliorumque de plebe, etiam (quod multum est) subtiliorum, quorumvis sit, Similitudines formare? Non sine labore certè & ingenio, eruditi etiam, id præstant.

VI. Quærat igitur D. Wittichius l. c. *Quomodo Soli competat tentorium in cœlis?* Resp. per Comparationem Spiritus Sancti, Metaphoricè: pro loco, seu habitatione in Cœli. Expanso ipsi constitutâ. Pergat. *Quomodo prodit è thalamo suo?* Resp. Ad instar Sponsi gloriosi. *Quomodo decurrit viam, tanquam robustus?* Resp. Tanquam robustus. *Quomodò tandem exoritur ab extremitate Cœlorum, & revolvitur ad extremitates?* Resp. Oriendo Nobis & occidendo. Quæ omnia, insigni, doctâ & exacta Comparatione, per Tropum determinantur. Nota, quæso, BENE. Tropus non tollit rem; sed determinat. Non tollit rem; sed modum rei. Applico. Non tollit motum à Sole, sed eundem præcidit: ne sit cursus,

ad-

adinstar Sponsi, organicus. Cursus igitur tantùm organicus Soli negatur. Motus verò etiam confirmatur; & non eidem tribuitur solùm.

VII. Quomodo autem Sol, ab extremitate Cœli oriri & ad alteram revolvi extremitatem, dicatur, D. Wittichius, art. cit. pag. 260. docet: *Nonne*, inquit, *luce meridianâ clarius est, si quis ad has locutiones attendat, illas respicere eam vulgi opinionem in præjudicio sensuum fundatam, quod ibi, ubi visus noster terminatur & Terra cælum contingere videtur, sint Cæli extremitates, in quibus thalamus & tentorium quasi Solis in quod sese recondat, per totàm noctem in quiete ibi manendo, ex quo thalamo manè prodire judicatur, apparens tanquam robustus aliquis gigas, quia in Ortu longe major videtur, quàm in medio Cæli.* Resp. Sed Elenchus phraseos in luce istâ meridianâ commissus est. Nego, hancce tam brutam Judæorum Vulgi communiter opinionem fuisse. Elenchus, inquam, phraseos *extremitatum*: quas 1. Cœli, & non Terræ: Cœli duntaxat; & non cœli cum Terrâ; Cœli & visus nostri esse extremitates, ex textu concluditur. LECTOR CANDIDE, Te, cujuscunque sis sententiæ, appello: Tu, neutri favens, in D. Wittichii, & meam, de vulgi opinione, acriùs inquire sententiam.

VIII. Meam repeto. *Ab extremitate*

1. Cæ-

1. Cœli 2. solius. 3. quem videmus *exortus ejus*, Solis: & *revolutio ejus ad extremitatem Cœli*; non Terræ cœli, quem visu nostro determinamus. *nec est, qui abscondatur à facie ejus.* Atque ita, Solem oriri & occidere objectivè, non formaliter, dico. Non tamen apparenter, quia nobis ita videtur; sed verè. Objectivè Solem & realiter oriri, non implicant. Rejicio autem brutam illam Wittichii, quam Sancto populo simpliciter tribuit, opinionem, num. 7. recensitam; partim, quia etiam in vulgo opinio hæc particularis nimis est; partim, quia puerorum potiùs, mentis nondum ematuratæ & aliquo modo subactæ, est, quàm vulgi, è Patriarcharum lumbis progeniti, & sale Ægyptio conditi: in sapientia, inquam, naturali & divina, educati. Hodie istam vulgus, si maximè doceretur, opinionem non caperet. Fuimus pueri. Scimus, quantum sapuerimus. Quid verò vulgus sentiat: non, nisi à vulgo, discendum est.

IX. Et cavendum certè est; ne Ethnicorum figmenta & superstitiones absurdas populo Dei, in operum Dei contemplatione tam exercitato, Ps. 8. cùm sacrilegio tribuamus. Factum id à quodam, non obscuri nominis, qui superstitiosam & Idololatricam Ethnicorum opinionem Judæorum vulgo attribuit. Hujus ineptitudinis memi-

nit

nit Tacitus, de moribus Germanorum: *Trans Suionos aliud mare pigrum ac prope immotum, quo cingi claudique terrarum Orbem hinc fides: quod extremus cadentis jam Solis fulgor inortus edurat, adeo clarus ut sidera haberet. Sonum insuper se mergentis audiri, formasque Deorum, & radios capitis adspici persuasio adjicit.* Ad quæ verba Lipsius annotat: *Hæc persuasio rudis & cascæ plebis fuit, Solem dum in Oceanum cadit, stridorem edere non aliter, quam si ignitum ferrum condatur in aquam.* Superstitionem Gentilem hîc sonus & stridor, mergentis se Oceano Solis, arguit. Idololatriam, formæ Deorum, quas sibi apparere in radiis gens, Dei nescia, somniabat: gentiles quippe illi Solem pro Deo timebant & colebant. At, hanccine Judæorum populo, à Mose & Prophetis tam erudito, tribuere debemus? Quo argumento? Orbis judicet, an vel unicum habeamus. Injurii valde sumus, Homines Hominibus!

X. Atque ita in hocce Psalmo XIX. v. 6. absurda bruti ingenii opinio rejecta: præjudicium vulgi refutatum, asserta Similitudinis est veritas. Præterire autem hîc non possum, quin paucis memorem, quomodo D. Wittichius, Diss. 11. c. 6. art. 21. Resp. 2. Ecclesiasti Leydensi satisfaciat? Ita autem Reverendus, in Dial. Theol. Astronom. p. 24. Primùm. *Ut Sponsus se habet ad gloriam*

riam ſuam non apparenter & ex opinione hominum, ſed revera, ita & Sol ſeſe habet ad gloriam ſuam revera, & non ex opinione hominum apparenter tantùm. Quid adhæc reſpondetur? Negat ei D. Wittichius l. c. quòd eodem modo Sol ſeſe habeat ad Gloriam ſuam & ad motum: *nam quamvis,* inquit, *nulla afferatur in Pſalmo diverſitatis nota, tamen etiam nulla in eo comparatio inſtituitur.* Sed fruſtra negatur proportio, quæ ad oculum eſt. Quemadmodum Sponſus ad Gloriam & egreſſum: ita Sol ad pulchritudinem, & motum ſuum ſeſe habet. Ecce Analogiam, nulla exceptione limitandam, eludendam! Nulla porrò affertur Sponſum inter & Solem diverſitatis nota, quod D. Wittichius concedit. Ergo non differunt. Ergo in tertio uno & vero conveniunt. Dicat: Non ſequitur? Reſp. Certè tàm diu, donec differentiam illam dederit. Hanc nunquam ſpero. *Tamen etiam*, excipit, *nulla in eo comparatio inſtituitur.* Reſp. Contradictio hîc aperta eſt, non differre in ſimilitudine; neque tamen inter ſe convenire, vel comparari. Quæ conveniunt in uno tertio, inter ſe conveniunt: addo, idem ſunt.

XI. Alterum du Bois argumentum eſt: *Ut curſor ſeſe habet ad curſum ſuum, ita & Sol ad motum ſuum: at curſor ſeſe habet ad motum ſuum realiter, & non ſecundùm appa-*

ren-

rentiam tantùm vel opinionem hominum : Ergo & Sol sese habet ad motum suum realiter, & non secundùm apparentiam tantùm vel opinionem hominum. Tertium est argumentum. *Prout Sol sese habet ad gloriam suam ipsi in Psalmo tributam, ità etiam sese habet ad suum motum, cum in utraque similitudine nulla diversitatis nota reperiatur: at Sol sese habet ad gloriam revera & non secundùm opinionem hominum apparenter tantùm: Ergo & habet sese ad motum revera & non apparenter tantùm secundum opinionem hominum.* Ad quæ, tanti ponderis verba, responsionem à D. Wittichio refert talem: *fit* inquit, *collatio ejus quod apparet in Sole, ad id quod reverà in cursore contingit.* At cur non eodem respondemus ore: fit collatio ejus, quod in Sole falsũ est, ad id quod in cursore verum est. Eadem est sententia.

XII. Pergit. *In eo ergo est tertium hujus convenientiæ, quod sicut cursoris velocitas oculis apparet, ita etiam Solis, sed in eo est differentia, quod prior apparentia conveniat cum veritate, posterior non item.* Sed, quid cogit nos Comparationis Sanctæ constituere tertium, Apparentiam; cùm rem ipsam habeamus? Quid tantopere Copernicæi realitatem fugiunt? Annon hoc est fugere lucem, & palpare tenebras? Nonne suâ hoc erit sponte errare velle? Estne verò Christiani hominis: taceo, Theologi Do-

cto-

ctoris, tremendæ Majestatis taliter tractare Oracula? Pietatem! Propter Hypothesin, rem Scripturæ per apparentiam rei explicare? Fidem! Nonne vel ab infimo Rhetorum vapularem, si talem ei Comparationem, vel formarem; vel taliter apparens, & sic falsum per verum, compararem. Conclusum est. Ex Scriptura in Philosophiam descendere non licet; Rationi verò, ineptæ etiam, ad Scripturæ Tribunal ascendere, & pari confidere autoritate maximè licet. Justificata est Sapientia à Sapientibus. Sed facilè ignoscimus Nobis.

XIII. Ut tandem hinc discedam: Syllogismum D. Wittichii, ne quid veritati obstet, removebo. *Quemadmodum ergo*, inquit ibidem, *si quis diceret: Solem sese elevare supra Horizontem & ascendere usque ad medium Cœli, quemadmodum Aquila sese elevat à superficie Terræ & usque ad nubes evolat, non permitteretur ipsi, ne quidem à Ptolemaico, ut inferret: At Aquila revera è loco inferiori ad sublimiorem sese extollit. Ergo etiam Sol non apparenter ascendit, sed revera: Ita etiam non licet hîc comparationem urgere ultra illud tertium, in quo fuit instituta.* Resp. 1. At cur non mihi Comparatorum Elenchum: cur non tertium illud, in quo comparata concurrunt, urgere liceat? Urgeo reale Comparationis tertium; quod ego quidem, & alii, probavimus

mus, ad ſilentium uſque; ſed apparens, atque ita falſum, rejicio. 2. Inſtantia D. Wittichii & Syllogiſmus, ambo noſtra ſunt. Ptolemaicus enim facilè & jure permittet, Solem verè ab Ortu ſupra Horizontem noſtrum aſcendere, ad Meridianum noſtrum: & inde, ſtante & quieſcente Terra, verè & realiter deſcendere. Præſupponitur igitur non conceſſum. At rogandum prius erat. Nihil ergo D. Wittichius, contra Ptolemaicos, ex Scriptura concluſit. Ad rationes de rationalibus: naturales, de naturalibus.

Hactenus cum Clariſſimo D. Wittichio: reſtat, ut cum inſigni Mathematico D. Lanſbergio quoque conferamus.

XIV. Quæritur: *An ex Pſalmi* XIX. v. 6. *Literali* (proprium & reale intelligo) *expoſitione, ſequatur, juxta ſententiam Auguſtini, Lactantii veterumque Poëtarum figmenta, Solem dimidiam tantum Orbis Terreni illuſtrare partem?* Concludi aliquid forſitan ex Terræ planæ Hypotheſi poſſet: ſi non abſurda rationi eſſet, & Veritati. Terram verò quod attinet: varias ei figuras antiqui aſſignarunt Philoſophi. Alii *planam* crediderunt, ut Empedocles & Anaximenes. Alii *cavam*, ut Democritus & Heraclitus, qui Terram σκαφοειδῆ, adinſtar ſcaphæ excavatam pronunciavit. Alii, κυβοειδῆ καὶ τετράγωνον, *cubicam* & *quadrangularem*. Alii, πυραμοειδῆ, *pyramidalem*, ſeu in faſtigium

gium assurgentem. Alii κυλινδροειδῆν, *cylindri figuræ* æmulam dixerunt; veluti Anaximander. Sed hos omnes confutavit Cleomedes, lib. 1. circularis inspect.

X V. D. Lansbergius in Comm. suis in Motum Terræ Diurnum, pag. 13. istam connexuit consequentiam. Sed Veniam TE, LECTOR, oro, si fortè à Viro tanto recessero, ejusque sententiam ad rigorem, quod vult, examinavero. Ita autem l.c. commentatur: *Hæc* (Psalmi scilicet decimi-noni v. 6. & alia Scripturæ loca) *si ad veritatis rigorem examines, necessariò inferent, juxta sententiam Augustini & Lactantii, figmentaque Veterum Poëtarum Solem dimidiam tantùm Orbis Terreni partem illustrare, & in cubili ad Auroram quiescere; planè sicut Ovidius lib. 2. Metamorph. poëticè ostendit.*

X V I. Quam Consequentiam, valde contortam esse & coactam, deprehendo. Primò enim: quando ad veritatis rigorem sancta examino verba, exinde colligo, Comparationem Psalmi esse legitimam, quæ Similitudinis Comparatorum medium seu tertium positivum verum & reale; non autem apparens & falsum (quod est motus Solis; non verò ejus quies) statuit. 2. Similitudinem Psalmi ad rigorem veritatis, secundùm Lansbergium, non esse Similitudinem. 3. Sententiam Lactantii non fuisse (α.) populi

Judæo-

Judæorum, ut supra evictum est. (β) Non fuisse Augustini. (γ.) neque Veterum Poëtarum Sententiam & opinionem. 4. Consequentia ista ad rigidum veritatis Tribunal consistere nequaquam potest. Quomodo enim procedit: Scriptura, Solem ab extremitate Cœli unâ (Ortu) ad alteram Cœli extremitatem (Occasum) progredi, dicit: Ergo eum in nostro tantùm hærere Horizonte. Ergo, dimidiam tantùm Orbis Terreni partem eundem illustrare, dicit. Quam sequelam simpliciter nego. Ratio negationis est: quia, si Spiritus S. motum Solis successivum in Hæmisphærio altero reticet, non eundem statim negat.

XVII. Augustinum quod concernit. Vix crediderim, eum tam rudem & Ptolemaicarum assertionum imperitum fuisse, ut hæc & talia, Vir undiquaque doctissimus, sentiret. Dubitationis ratio est: 1. Quia noverat optimè, Philosophus atque disputator felicissimus, dimensionum non dari penetrationem. 2 Pater ille venerandus non simpliciter, Solem dimidiam tantùm Orbis illustrare partem, asseruit. Ipse enim Philippus Lansbergius ibidem loci scribit: *Tempore Lanctantii & Augustini gravem fuisse controversiam in Ecclesiis, utrum Terra sphærica esset, ut invictis rationibus probant Astronomi; an verò plana, ut vulgo videtur. Item, essentne Antipodes,*


qui

qui ex altera globi terreni parte adversa nobis figunt vestigia, nec ne? Augustinus igitur de Terræ rotunditate & Antipodibus loquitur. At quid hoc ad Solis motum? Ignoratur Elenchus. Non rectè opponitur. Imò ne consequentiæ quidem apparet species, cùm sic argumentor: Si quidam Patres, ex locis Scripturæ malè intellectis, negaverunt, Terram esse rotundam; vel, dari Antipodes. Ergo S. Scriptura non est utilis, ad solvendam de Solis motu quæstionem. Ad quæ Leydensis reponit Ecclesiastes, Dial. Theol. Astr. p. 19. *Nemo*, inquit, *non videbit ineptissimam esse consequentiam.* Ego dico, NULLAM.

XVIII. Augustinus equidem, lib. 2. de Gen. ad Lit. C. 9. dubitat de Antipodibus. Habitatores Terræ vel sunt Periæci; vel Antæci; vel Antipodes. *Antipodes* (Latinis Versipedes) sunt, qui sub eodem Meridiano oppositas latitudines æquales habent, intercedente inter eos utrimque Mundi polo. Pedes autem Nobis obversos gerunt. His omnia contraria accidunt: Anni tempora, Menses, Dies & Nox, Ortus & occasus. Communem seu continuum habent Horizontem; sed in oppositis Hæmisphæriis. De hisce igitur Antipodibus dubitat Hypponensis Præsul, ex eo, quòd putet forsitan cum quibusdam, Orbem Terræ (*D*,) ad instar Insulæ aquis (*C*,) innatare:

&

Orbis Insularis, Aquis innatans.



& Terræ partem (*D*,) noſtro Horizonti (*E*,) oppoſitam aquis (*C*,) operiri : & propterea eſſe inhabitabilem. Aut, ſi pars aliqua aquis operta, eam eſſe incultam & vacuam (*D*,) eòque penetrari, ob immenſa marium (*C*,) ſpatia, quæ nos inter & illam jacent. Idem exiſtimat lib. 16. de Civit. Dei c. 9. Ubi, Antipodes eſſe, ſeu homines ab Adamo progenitos eò pervenire potuiſſe, negat. Sed hinc opinionem, ei à D. Lanſbergio malè attributam, nondum colligo. Potiùs hinc evinco, quòd Antipodes tum quidem temporis ignorabantur à Patribus ; aſt Horizon ſub-

ſubterraneus, Terra Antipodum, non omnino negabatur.


XIX. Expende, quæſo, LECTOR, iſta: quò tandem argumento Auguſtinus & alii Patres Terræ rotunditatem negare potuerint? Id quidem de illis dicendum non eſt: ipſi enim vocem, ORBIS TERRÆ, in Sacris toties legerunt literis. Imò Textum Biblicum ex aliarum linguarum collatione, potiùs, Mundum hunc Orbem vocando, eodem modo enarraverunt. Veluti,in Editionis Vulgatæ contextu, Pſal.18.v.5. Pſal.23.v.1. Pſal.95.v.1. Pſal.97.v.7...9. legimus. Jàm, ſi Terræ Orbis in Sacrâ tribuitur Scripturâ; tum certè, Terram eſſe orbiculatam,ſeu rotundam,Judæorum vulgo, & poſt eum Auguſtino & aliis primitivæ Chriſti Eccleſiæ Patribus, perſuaſum exinde fuit. Non, puto, dices, Terræ dimidium duntaxat orbem,ſeu Hemiſphærium tribui: 1. quia Horizon ſolummodo hominibus viſus eſt. Namque 2. in S. literis (NB.) non Orbis tantum TERRÆ; ſed Orbis TERRARUM quoque dicitur.

XX. Deinde (3.) Terræ extremitates ſæpiſſimè, & potiſſimùm quidem Metonymicè & adjectivè, pro Gentibus & Populis inibi habitantibus; interdum etiam Terræ Extremitates, pro longinqua nimis locorum diſtantiâ ſumuntur. Prioris exemplum

plum exstat, Psal. 100. v. 2. *Jubilate Deo omnis terra : servite Domino in lætitia*: Posterioris, Psal. 72.v.8. *Et dominabitur à mari usque ad mare: & à flumine usque ad terminos ORBIS TERRARUM.* Esa.49.v.12. *Ecce isti* (Ecclesiæ filii, Gentes in Christi Regnum vocatæ) *de longè veniunt: & ecce illi ab Aquilone & mari, & isti de terrà Australi.* Confer, Esa. 60.v.4.,9.

XXI. Ad Lactantium quod attinet. Inexcusabilis ejus esse sententia, lib. III. Divinarum Institutionum c. 24. videtur. Ubi, puerili perculsus metu, ne nobis adversi Antipodes, quasi sursum penduli, in cœlum caderent dari versipedes illos

Infinitus Lactantii Orbis.




negat. Insuper Philosophos, Terræ rotunditatem, statuentes, ridet. Quare censuit ipse, cœlum non esse sphæricum; nec

totam ambire Terram; sed tantùm nostrum hocce Hæmisphærium, in ejusque limitibus finiri.

Item: Terram (*A*,) deorsum infinitis extendi radicibus; Cœlum autem Terram quasi contingere. Quæ quidem falsa est & absurda opinio; quam recitasse, est refutasse.

Hypothesis Poëtarum.



XXII. Cæterùm, erronea illa Lactantii opinio, antiquorum esse Poëtarum videtur Hypothesis: qui, Solem Oceano (*D*,) tanquam cubili suo, die deficiente, immergi, & exinde (*E*,) iterum emergere, cecinerunt, ut Ovidius, lib. 1. Metam. Virgilius, & alii vates orientem Solem describunt:

Oceanum (E,) *interea surgens aurora reliquit.*

Sol

——— *Sol vitreis procedit ab undis.*
Ortus erat summo tantummodo margine Titan.
——— *Oceani consurgit ab undis.*

Econtra, occidentem sic depingunt Solem:

———*Titan parat alto condere vultus, Æquore*, (D.)
Phœbus in æquoreas præcipitatur aquas.
——— *Condit Sol*(D,) *æquore flammas.*
——— *Alto se gurgite* (B,) *mergit.*
——— *Pater Heliadum radios ubi traxerat undis.*

XXIII. Hanc tamen delineatam Poëtarum Hypothesin, fuisse etiam eorundem Opinionem, totus dubito: asserere non audeo. Orbem istum, pro delectatione animi, effinxisse eos; non autem pro veritate assumsisse, existimo. Imò probo. 1. quia, locutiones istas, non proprias; sed Tropicas: Metonymicas, Metaphoricas & Synecdochicas, ita impropriè, & pro verborum deliciis, esse acceptas voluerunt. Patet id vel ex isto Virgilii versu:

— *Nox placidam redimita papavere frontem.*

Quid? estne Nox animatum, quod papavere coronari, vel granis ipsius aspergi, vel oleo papaveris inebriari debeat: ut, placidè sic delinita, dormiat? Nemo dixerit. Finxit potiùs Poëta Noctem, Deam quandam esse, quæ frontem papaverum floribus

& capitulis redimita, granisque conspersa tenebrarum habens imperium, Terræ incubet, & homines, tanquam soporifero isto Spiritu infatuatos, dormire faciat. Ecce Tibi Causæ Efficientis : ecce Effecti Metonymiam : Tropos. Habes quoque Prosopopœiam, Figuram: & quas non Poëticæ manûs elegantias. Dicitur ab eodem Vate, Æneid. l. VII. 25

Jamque rubescebat radiis mare, & æthere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.

Et alibi:

Carmina vel cælo possunt deducere Lunam.

Rubescebat, canitur, mare. Quo tandem colore tinctum? Radiis. Objectivè, scilicet, & ex Solis radiorum, per sic dispositam nubem vel marinam aquam, reflexione. Ergo rutilum dicunt mare; sed, non esse tale, sentiunt. Carmina quoque Lunam possunt Poëtis cœlo deducere: sive venefica, sive ficta: quanquam id à Virgilio in Ecloga ex abundanti dicatur tantùm; non verò pro Opinione habeatur.

XXIV. 2. Ratio secunda est: quia Poëtæ Philosophi etiam non postremi erant. Erant boni Physici & Astronomi in speculativâ: optimi Ethici & Politici, in Practicâ Disciplina; quod Te, Lector, innumeris locis Horatius, Ovidius, Virgilius docebunt. Re-

Reliquerunt enim ſcripta, ex quibus Galilæus derivare Philoſophiam ſuſcipit, in Syſtemate Coſmico, Dial. 1. pag. 77. *Atqui,* inquit, *mi Simplici, quemadmodum tibi faſtidio non eſt, res in Ariſtotele eſſe hinc inde diſſeminatas, & perſuaſum habes, comparatione combinationeque variarum particularum inde ſuccum extrahi; quod tu & alii egregii Philoſophi facietis in textibus Ariſtotelis, IDEM EGO PRÆSTABO IN VERSIBUS VIRGILII AUT OVIDII, centones inde formaturus, & iis omnia hominum negotia & naturæ ſecreta explicaturus.*

Hominum, inquit, NEGOTIA: quæ Practicæ ſunt Philoſophiæ, & contingenter fiunt. Et NATURÆ SECRETA: quæ Speculativæ Philoſophiæ, & neceſſariò ſunt. Quod cùm ita eſſe velit, falſiſſimè abſurda illa infiniti Terræ Orbis Hypotheſis Poëtis pro opinione imputabitur. Finxerunt.


XXV. 3. Sciebant etiam Poëtæ ex Ariſtotele, Ptolemæo & aliis ante eum, Solis peripheriam & motum circa Terræ punctum. Sed Poëtico inebriati furore, Veritati fictis ſuis pigmentis larvam, datâ operâ, ſuperinducebant: delectationis magis & utilitatis, quàm Veritatis, ſtudioſi. Veritatem diſſimulaſſe eos vel ornaſſe; non autem negaſſe, certum eſt. Fin-

xerunt enim, Phœbum occidentem, (*D*,) Oceano (*B*,) ſeſe immergere, & in eo, tanquam in ſuo cubili, noctu requieſcere: & iterum ex alterâ Oceani parte (*E*,) verſùs Terræ Meridianum (*A*,) aſcendere: & ſic conſequenter. Sed finxerunt. Finxerunt, inquam, *Hypotheſin* SIBI; non verò habuerunt *Opinionem*. Sin autem vera hæc, quæ finxerunt, eſſe crediderunt, id quod difficulter probabitur: tum, Veritatem non edocti, errârunt.

XXVI. Porrò Veteres, Terram eſſe ſub Horizonte, non negabant; ſed eam incultam, ſolidam & magneticæ Virtutis, per quam ſuas in uno corpore contineat partes, atque ſic pendula in aëre contineatur, putabant.

XXVII. Et hoc eſt; quod Ariſtoteles, Antipodes, verſipedas noſtros, dari vel eſſe, negaverit, ex hac ratione: quia, ex quinque Terræ Zonis, duas tantùm laterales cenſuerit eſſe habitabiles: puta illas, quæ duobus Tropicis Cancri, (A) ♋; & Capricorni, (C,) ♑ ſubjacent. Mediam quippe, (*B*,) ob æſtum nimium; duas ultimas, Arcticam (*D*,) & Antarcticam, (*E*,) ob frigus intenſiſſimum, eſſe inhabitabiles, cenſuit. Quare, per illas in alium Orbem non fuiſſe, nec eſſe tranſitum: nemo enim tunc ultra Herculis Columnas navigârat.

XXVIII. Iſta autem Orbis, in quinque



Zonas, divisio antiqua valde est. Primus ejus Parmenides dicitur Autor: ut ex Posidonio refert Strabo. Orbicularibus hisce circa Polos *D*, *E*, segmentis, Zodiaci Verticibus descriptis, Orbem, quà patet, Veteres distinxêre. Meminit autem Mathematicæ hujus divisionis Ovidius, (ignaros omnino philosophicarum rerum & rudes Poëtas, cum quibusdam, non statuo; sed, Philosophiæ peritissimos, cum Gal. Galilæi assero.) lib. 1. Metamorph. tali canens symphoniâ:

Utque duæ dextrà cælum totidemque sinistrà
Parte secant Zonæ: quinta est ardentior illis.

 Sic

Sic onus inclusum numero distinxit eodem
Cura Dei, totidem plagæ tellure premuntur
Quarum quæ media est, non est habitabilis æstu:
Nix tegit alta duas: totidem inter utramque locavit.
Temperiemque dedit, mistâ cum frigore flammâ.

XXIX. Denique. Positâ Hypothesi, non Opinionem statim pono. Viderint itaque D. Lansbergius, & D. Wittichius, quo jure, quo fonte, quâ fronte Poëtas & vulgum rudes simpliciter appellaverint? Bardos, brutos, fungos; vaccas potius cœlum aspectantes appellassent. Tituli isti in ipsorum & exstant, & nonnulli fluunt, argumentationibus. Vacca nullum aliàs, nisi supra se, cœlum ex sensu videt naturali; nihil præterea. Vulgus idem videt. Conveniunt in tertio. Tanta scilicet crassi est vulgi ruditas! Cavendum certe est, ne lapidibus à vulgo obruamur.

XXX. Porrò: quæ concludit ratio, vulgum, quòd Cœlum in Terræ finibus verè terminetur, opinari? Rationem communiter dant: quia hancce Vulgus præconcepit opinionem. Resp. 1. Præconcepit? Concessum id nondum est. 2. Esto. Quo tamen D. Wittichius concludet argumento: vulgum,

gum, quicquid præconcepit, verè etiam semper opinari, &, illud sic esse, credere? Nullo unquam: nisi, brutam esse vulgi animam, statuerit. Non omnino & simpliciter insulsus est vulgus. Aspersum etiam sale eum, existimo: est enim rationalis. Si rationalis? tum alter, præ altero, Idiota magis & plus formalitatis concipiet: atque ita, alterô, magis sapiet. Quia verò non omnes forsitan vulgi (loquar ita) partes aspersæ sale sunt: ideoque non aspersa ab aspersis facilè, per sui communicationem, condiuntur.

XXXI. Falsum quoque est, quod D. Wittichius ex locis, Deut. 30. v. 4. Esa. 13. v. 5. Colligit, (locus proximus ita sonat: *Veniunt è terra longinqua ab extremitate cælorum*) locutionem istam à sensuum præjudiciis & vulgi opinione esse desumtam. Ita quippe, Dissert. I. cap. 4. art. 1. *Videtur*, inquit, *ei, qui solis sensibus innititur, ac si cælum esset Hæmisphærium, quòd in extremis Terræ finibus deficiat, ita ut Terræ innitatur, & progredientibus eousque videatur occursurum, impediens progressum ulteriorem. Hoc præjudicio*, pergit, *sensuum occupatus Homerus Æthyopas collocat ad extremitates Ortus & Occasus, existimans Solem, ob hanc cæli & terrræ contiguitatem, adeo propinquum eis fieri, ut eorum cutem adurat, Odyss. A.*

XXXII. Resp. 1. Propono Autori duo:

Præjudicium, & Opinionem. Hæc expendat, examinet. Non certe ista in aërem dicenda: qualitercunque in charta scribenda. Quæro: an duo ista unum sint, & idem significent: PRÆCONCIPERE aliquid, & OPINARI; sive, rem animo præconceptam reverâ esse talem, credere. Constanter id, ego quidem, nego. Rationes suprà dedi. 2. Ex allatis à D. Wittichio Homeri, l. cit. versibus, neque Infiniti Orbis præjudicium, neque Solis propinquitatis opinio, claret. Apponam versus:

Αἰθίοπας τοὶ δίχθα δεδαίαται ἔσχατοι ἀνδρῶν,
Οἱ μὲν δυσομένου ὑπερίονος, οἱ δ᾽ ἀνιόντος.

XXXIII. Excerpo hinc duas, quæ potissimæ sunt, voces: scilicet, ἀνδρῶν ἔσχατοι, quod est, virorum seu hominum ultimi, Æthiopes. Argumentemur, quæso, hinc. 1. Homerus, Æthiopes hominum esse ultimos, dicit. Ergo in Terræ extremitate? Resp. Plus est in Conclusione. 2. Demus & hoc, ad placitum, & dicamus: Homerus, Æthiopes in Terræ habitare extremitate, dicit: Ergo in extremitate eâ, quâ Cœlum Terræ contiguum est. Resp. Et, plus in hac esse Conclusione; &, phraseos Elenchum: &, quas non, in vocibus, *Extremitas Terræ*, æquivocas esse fraudes. 3. Homerus dicit, in Solis Ortu & Occasu ultimos hominum esse Æthiopes: Ergo, Solem, ob hanc cœli & Terræ contiguitatem, adeo propin-

pinquum eis fieri, ut eorum cutem adurat, existimat. Resp. Cujus tamen modi argumentatio ista erit? Nego Consequentiam. Si quid enim Poëtæ veteres præjudicârunt: non certè statim opinati id sunt. Nos verò, quicquid illi poëticè confinxerunt, opinasse eos & credidisse; dicimus. Minùs verè: sine autoritate. 4. Contrarium patet ex communi Antiquitatis (Ægyptiorum etiam, ante Platonem, Ptolemæum, Aristotelem &c.) sententia; quæ Orbis Systema Circulare certis Zonis distinxit, secundùm Ovid. lib. 1. Metamorph.

XXXIV. Ex his igitur, & quæ præmissa jam sunt, evidentissimè demonstratur: 1. Patres, & Poëtas veteres, Philosophiam Mathematicam non ignorasse omnino. Nec 2, tam jejunos: ut dimensionum penetrationem admitterent. Sed 3. quæ somniarunt, atque, Poëticæ elegantiæ gratiâ, cecinerunt, (excipio hîc Lactantium, cui suas relinquo rationes: minùs philosophicas: falsas.) ista eos finxisse omnia; non verò, ut opinionem, habuisse. 4. Non sequi, Augustini & Lactantii absurditates ex literali Psalmi XIX. expositione. Atque ita D. Lansbergius & D. Wittichius satis nondum Ptolemaicis hîc fecerunt.

XXXV. Primùm huncce jam claudo Librum. Monitos, cujuscunque fuerint Sententiæ, fautores velim: ut, dum

Sancti Spiritus de rebus naturalibus testimonia legunt, imprimis Scripturæ attendant nexui, sensui, collationi; & non obiter, & post primum quasi obtutû eam prætereant. Examinavi, utrimque pro & contra allatas, Scripturæ interpretationes, ut potui. Exactiùs debui. Debeo adhuc. Argumentorum declaravi insufficientiam: quas utrimque ex Naturæ, & non Scripturæ tantùm, Libro depromsisse debueramus.

XXXVI. Et, ne in fine etiam à symbolis abeam, Familiæ Copernicæorum propono. Disquirant, Sancta volventes Oracula, Solis Motus & Terræ quies, an ex cœlo sit: an verò ex hominibus? Si ex cœlo: cur non, salvâ Hypothesi suâ, eum receperunt? Si ex hominibus: cœlum lapides pluet.

Ptolemaicis, & mihi ipsi, propono: Terræ Motus & Solis quies ex Naturæ libro, an aliunde demonstrandus sit?

Agedum! Philosophi, cujuscunque Partis, Viri, estote rationibus fortes; sed quas Israëlis intingatis fontibus. Docete: habete: gaudete vestrâ Hypothesi vestrisque demonstrationibus. Sanctè autem tremendæ Majestatis Divinæ Oracula, vel reverentiùs tractate, vel omnino omittite: ut, vos Domini Opera contemplari; non verò ratiunculis vestris famulari, DEO & ORBI EJUS, constet. *Libri Primi*

F I N I S.

EXA-

EXAMINIS THEOLOGICO-PHILOSOPHICI LIBER SECUNDUS, PROBLEMATICUS:

In quo Quæstiones, Famosam, de Solis vel Telluris motu, Controversiam concernentes, & examinantur, & nonnullæ Partis Utriusque Autoribus proponuntur.

Ita quidem : ut modesta Sententiarum, cum Clarissimis atque Excell. Viris, Kepplero, Foscarino, Langio, Ioanne Baptista Morino, Lipstorpio, VVittichio, & aliis, Collatio problematicè instituatur.

PROBLEMA I.

Collatum cum Cl. DAN. LIPSTORPIO, Copern. Rediv. Cap. VIII. & ultimo.

An, in disquisitione rerum, naturalium & Mathematicarum, (distinguo ista) à Locorum S. Scripturæ autoritate argumentari liceat?

I. Uod suprà, in Prœmio de Controversiarum Norma, præsupposui; idem jam reassumere negotium mihi non esset, nec otium; nisi importunæ quorundam responsationes illud mihi imponerent. Reperti enim, utraque in Parte, nonnulli sunt, qui in quæstionibus Philoso-

losophicis decidendis, tamdiu philosophicis insistunt principiis, dum opiniones suas tueri per eadem possunt. Ubi verò inter Bocardo & Ferison hæserunt, ita ut Opponenti ex iisdem principiis satis ampliùs facere nequeant: scutum permutant: pro Philosophico Theologicum, quo se protegant, accipiunt telum, Sanctam Scripturam naturalium quæstionum esse simpliciter & adæquatè normam, contendentes: quia Domina præcipere possit famulæ: Famula obedire Dominæ debeat. Quod serio an joco dicant, videant, qui pro Sacra in Philosophicis Norma etiam ad sanguinem, sed inutilem, disputando, sudant. Non certè Domina præcipere ancillæ, nisi, quæ SUA sunt, potest: quia non debet, & neque vult. Habet ancilla, quæ, Dominâ non salutatâ, & tamen non prohibente, faciat: sicuti Domina, quæ famulæ præcipere nec velit, nec expediat, habet, & sibi reservat. Videant, inquam, Dominæ (Scripturæ) propugnatores: an, quod illi volunt, ipsam præcipere Famulæ deceat. Sarciat ancilla suum supparum. Quid hoc ad Dominam? Suat & dissuat, justâ horâ. Quid, vel Tyrannica, hic dixerit Domina? Nihil dixerit: quia in re SUA Famula eam, nec in consilium, nec in auxilium, vocabit.

Injurii porrò sunt, cùm contra se disputantes blasphemiæ in Scripturam, Divinæ

Ma-

Majestatis læsæ; & pollutarum cærimoniarum sacrarum, postulant. Quod dum faciunt: à capite ad calcem insaniunt; nec sui, in fervore (furore dicam) disputationis, compotes ullibi sunt. Argumentationis summa est. Aut vera est, inquiunt, argumentatio mea; aut Philosophia contrariatur Theologiæ. Quam illationem meorum ego esse inimicorum vellem.

II. Incautè igitur D. Jac. du Bois, Dial: Theol. Astr. p.9. concludit ex Lansbergio: Cum enim quæstiones proposuisset hasce. *Annon testimonia, quæ in hac materia ex Scriptis sacris proferuntur, pro veris & indubitatis sint habenda?* & *, annon ex iis judicium pro rei veritate ferri possit? Negat,* inquit, *Lansbergius, at ob quam rationem? Quia harum quæstionum fundamenta in Astronomià & Geometrià jacent; quasi vel Astronomia & Geometria sacris literis sint contrariæ.* Incautè, inquam, responsum ab eo est. Primam enim quæstionem Lansbergius nequaquam negat. Agnoscit ille Scripturæ S. in hac etiam materia testimonia, materialiter; sed negat eadem formaliter: id est, agnoscit & recipit Scripturam Lansbergius cum aliis; sed Scripturæ explicationem Ptolemaicam, literalem, explodit. Ad formam agendum cum eo erat, non ad materiam. 2. Quomodo sequitur: Fundamenta quæstionum Astronomica-

rum

rum jacent in Scriptura. Ergo Astronomia & Geometria sacris literis sunt contrariæ. Imò, quia jacent, quia non sunt, non contrariantur. Si enim essent fundamenta in Scripturis Astronomica & Geometrica, tum forsitan sibi opponerentur, discreparent! Ergo DIVERSA erunt, Scriptura & Astronomia; non Contraria.

III. Quid quæso, obstabit, si dixero, aliam esse Geometriam Philosophiæ; aliam Theologiæ? Satis certè exinde faciam Lansbergio, qui, in Commentationibus in Motum Diurn. & Annuum Terræ, decertat. *Legimus*, inquit. 1. *Reg.* 7. 23. *&* 2. *Chron.* 4. 2. *Salomon inter alia templi Hierosolymitani instrumenta fecisse Balneum æreum, à vastitate Mare dictum: cujus diametrum metiebatur filum decem cubitorum: circumferentiam verò, filum cubitorum triginta. Ubi proportio Diametri ad Peripheriam statuitur ut* 10. *ad* 30. *aut ut* 7. *ad* 21. *Sed Archimedes demonstrat in sua cyclometriâ, Diametrum esse ad suam Peripheriam, ut* 7. *ad* 22. *fere; ut inter utramque mensuram intercedat differentia integri cubiti. Quod si quæras, utra harum propositionum veritati propior sit? Respondebo proximam esse Archimedæam, quæ certissimis innititur Geometriæ fundamentis, non illam quam Spiritus S. alteri instituto intentus, populari & recepto more contentus fuit referre. Quare*

cui-

evidens est, vel hoc exemplo, quæ ad Geometriam pertinent ex hac, non ex S. Scripturâ esse demonstranda. Resp. 1. Ad ista D. Jacobus du Bois, Dial. Theol. Astron. pag. 12. rectè respondit, in verbis istis Synecdochen esse numeri rotundi, pro paulo majori. Dices: Scripturæ ideo fidem habendam non esse? Resp. Neque D. Lansbergii (loquor cum Ecclesiaste) Commentationibus habenda fides erit: qui hacce Numeri Synecdoche passim utitur. Sic dicit: Saturnum suum perficere cursum annis 30. Jovem 12. Martem 2. cùm ex Tabulis ipsius liqueat, Saturnum suum orbem absolvere, annis 29. diebus 155. Jovem, annis 11. diebus 313. Martem anno uno & diebus 321. Instantias plures Autor laudatus, l. c. ex ipsius proponit Tabulis. 2. Spiritus S. Architecti factum recenset, quod, more vulgato, non exactum erat: mensurantes enim materiam, propter 30. negligunt unum vel duos pedes; dicuntque, rem, præterpropter, tot & tot pedum esse vel ulnarum. Fuit proportio illa de facto; non verò de jure.

IV, 3. Diversa sunt, Scriptura & Geometria; non autem Contraria. Diversus ergo in ipsis res tractandi modus erit. Et sic, Diametri ad Peripheriam quoque proportio in Geometria, exacta & accurata: in Scriptura, rotunda, &, quæ obiter saltem attingitur, erit. 4. Minus nihilo est, quod objicitur, illam

illam, SS. Diametri ad Circumferentiam proportionem, Archimedæam non fuisse, Resp. Sed fuit Hebræa, communis: quam Moses ab Ægyptiis, Abraham à Chaldæis &c. didicerunt. 5. Dubitasse debebamus: an illa Maris ænei circumferentia rotunda *exactè* fuerit? *Alicubi* forsitan in ovalem figuram deflexit? 6. Examinandus fuit circinus. 7. Denique mensuratio ipsa, num accurata fuerit. Omnia hîc dubia. Sed neque nos Diametri ad Peripheriam proportionem ex SS. discere; sed Euclide, sed Archimede volumus. 8. Lansbergius etiam de Archimedæa, 7. ad 22. proportione, dicit; illam sese ita *ferè* habere. Si *ferè*. Ergo non exactissimè. Ad minimum: non semper, aut difficulter, procedit.

V. Quæsitum igitur est: utrum S. Scriptura dubiorum naturalium, atque ita Mathematicorum sit propriè norma? Sobriè quæritur, ut veritati consulatur. Masculè hanc quęstionem tractat Amplissimus Sperlingius, in Instit. Physic. in Procem. qu. 4. Versat eam quoque Clarissimus Lipstorpius, l. c. n. 1. Ubi, quod in eo laudo, Scripturam quidem infallibilem Veritatis esse normam, ingenuè profitetur; eandem tamen Scripturam, Astronomicarum quæstionum Normam, & adæquatum esse Judicem, rectè etiam pernegat; ductus ratione, n. 3. descriptâ: *Cum enim*, inquit, *hujus proble-*

blematis nostri (intellige, de Terræ motu) *fundamenta ponantur in Astronomia & Geometriâ,hoc est,in Mathematicis disciplinis* &c. *Indignum profectò est, & cum insigni mentis dedecore conjunctum, velle hominibus, Mathematicarum & veræ Philosophiæ ignaris, hanc licentiam concedere, ut illa, quæ expurgati intellectus facultate adminiculante, & apparentiarũ omnium testimoniis vera esse ab omnibus cum sanâ ratione philosophantibus deprehenduntur, uno ictu evertant, proscindant, & ex principio heterogeneo malè ad suum propositum applicato falsitatis postulare præsumant.*

VI. Actum certè de omnis scientiæ humanæ certitudine esse, tecum, tuus Lector, judico. Nec quicquam addo. Hoc tamen: Scientiarum certitudinem à Scriptura formaliter non dependere. Et: propter materialem aliquam & externam Scripturæ repugnantiam, non statim noster Intellectus alienæ mancipium fit libidinis: non divinæ statim auræ particula tollitur: non Ratio rejicitur.

VII. Multa siquidem in literis Sacris dicuntur, quæ formaliter distingui à nobis volunt. Methodus in Sacris est; sed à nobis in ordinem redigenda: quia dispersa est. Definitiones ibi continentur; at à nobis formandæ. Divisiones innuuntur; non exprimuntur semper: forsitan, ut auræ divinæ

par-

particula, ratio, occupata in talibus sit: collatio enim ordinata, est nostri intellectus operatio. Nusquam summus laudatur Aristoteles; nisi ubi res distinguit, atque ita benè docet.

VIII. Librum igitur, non Scripturæ, sed Naturæ, ad res disquirendum naturales, volvendum nobis esse, rectè exinde arguitur. Quapropter, errare suâ volunt sponte, qui in omni qualicunque dubio ad Scripturam unicè recurrunt. Suæ certè ignorantiæ asylum ibi quærunt; non scientiæ fundamentum.

IX. Philosophi interim erit, Sacras etiam scire literas: locus enim à divino testimonio non rejicitur. Multùm certè, hîc loci etiam, potest. Sic igitur, inquies, Scripturam Philosophiæ esse normam oportebit. Neutiquam. Distinguo, inter Scripturam Judicem; quod nego: & Scripturam Testem; quod omnino assero. Philosophus quippe suum declarat subjectum; Medium verò Terminum, (Rameis, argumentum tertium) unde potest, haurit.

X. Nec sequitur: probantem ex Sacris ideo, & statim, esse Theologum: quemadmodum non concluditur, eum esse Ethnicum, qui ex Ethnicorum libris, quatuor esse Elementa, & alia, docet. *Multa Aristoteles didicit à piscatoribus, multa à venatoribus: nec tamen hinc vel piscator, vel venator.*

tor, *audit*, inquit Dn. Sperlingius, l. c.

XI. Declaro jam ſententiam, & reſpondeo: *Scriptura eſt infallibilis rerum Philoſophicarum norma: heterogenea, non verò homogenea.* Explico. *Eſt norma*: eſt enim prima Veritatis Regula. *rerum philoſophicarum*: quia teſtimonium Scripturæ de illis non rejicies. *infallibilis*: non enim in tua per eam demonſtratione falleris. Si tamen falſus es? non hoc divina habebat Scriptura; ſed hoc ſenſerat humana (*tua*) ignorantia, dicente Auguſtino. Et verè, & philoſophicè quidem. Quoniam, quicquid Scriptura confuſè eloquitur, tu apprehendere diſtinctè debes. Si illa rei materiam habet; in ea tu formam non quæras. Materiale, inquam, tibi Scriptura aliquando dabit; Formale non ſemper; imò rariſſime. Apud Ægyptios quærendum erit, quicquid te Moſes docere noluit; Et, privatim rogandus id erit Moſes, quicquid publicè proferre nequivit. *Heterogenea*; quoniam ſuo adæquata non eſt normato. Argumentor, & deſino.

Omne Menſurans adæquatum eſſe debet ſuo menſurato.

Scriptura eſt menſurans.

Ergo debet adæquata eſſe ſuo menſurato.

Quòd menſuratum, res ſint Theologicæ ad ſalutem; non autem philoſophicæ, quâ tales,

tales, ad ſcientiam. Ergo Scriptura norma Philoſophicorum dubiorum adæquata(clariùs:conveniens) non eſt: non homogenea: non judex; ſed teſtis tantùm eſt.

XII. Atque ita Normam, concordi ratione, cum Lipſtorpio conſideravi. Sed ille argumento hocce Ptolemaicorum petit jugulum, l. c. n. 6. *Quapropter*, inquit, *negligunt ſcopum Scripturæ S. quotquot Geometricas & Aſtronomicas quæſtiones ad ejus normam expendunt, faciuntque* μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, *quam ipſi alioquin improbant.* Quæ verba mulctam dicunt Ptolemaicis. Sed, quam ſibi dicere etiam debuit Lipſtorpius, cum aliis, qui in eandem impegerunt Lapidem, Si enim, Scripturam pro Terræ quiete adducentibus, principium ſimpliciter negatum, &, ceu inconveniens Themati, à Copernicæis non acceptatum fuiſſet: accuratius, credo, in principia & normam inquiſitum fuiſſet, neque, diſputando de principiatis, huc uſque contentionis protraxiſſemus ſerram.

XIII. Summum certè Eruditorum Orbis votum eſt: utinam Ptolemaici Copernicæis ſacras in hac materia literas non oppoſuiſſent directè; ſuffeciſſet enim ex abundanti intuliſſe! Utinam rationibus phyſicis, & Obſervationibus invicem egiſſent. Utinam Ptolemaici Scripturam, vel non acceptaſſent, vel acceptatam examinaſſent meliùs!

liùs! Ego in Controversiæ hujus ventilatione rationes, materiæ subjectæ convenientes, audio libentissimè & expendo. A rationibus ad Scripturam confugientes, causâ cecidisse, judico. At, si adducuntut ab una; si etiam ab altera assumuntur parte Scripturæ loca; examinandum penitiùs eorundem sensum, & sine præjudicio quidem alterutrius Partis Hypotheseos, censeo.

XIV. Horum, quæ dicta jam sunt, retorsionem in me quoque parabit nonnullus. Si, inquiet, Scripturam adæquatam esse rerum Mathematicarum normam, negas; cur igitur eandem contra, Copernicæos, tot Locorum Examine, urges? Resp. Urgeo: & Ptolemaicos contra, & Copernicæos. Illos: quòd saltum tot jugerum in Scripturam faciant: eamque, Mathematicis & physicis demonstrationibus neglectis, contra Adversarios, solam & solùm sæpissimè, stringant: cum tamen Scriptura, Testem se ibi rei & materiæ offerat; non Judicem formaliter etiam constituat. Et, cùm de Solis motu & Terræ quiete tam clarè ex Sanctis edocti Scripturis sumus, ut nullum nobis ea de re oriatur dubium: cur, quæso, sancto Dominam non veneramur silentio; & interea, quæ nobis cum ancillis sunt, transigimus, conferimus, lites componimus?

XV. Copernicæos autem urgeo; quod, objecta sibi in còntrarium, Scripturæ testimonia

monia tam falsè rideant, tam superbè & contemptim excipiant, tam (dico, quod res ad cœlum clamat) obiter & negligenter ad ea respondeant. Circumspiciendum certè militi suum est telum: an contra hostem valeat. Bonus miles suum acuit gladium: hunc expolit: hinc & illinc flectit, & variè versat, ictum vel in aëre, experitur. Non aliter decebat Copernicæos, in suam ipsorummet inquirere responsionem.

XVI. Quæram enim; An Terra, vel Sol moveatur? an hic, vel illa centrum sit? Ptolemaici, post rationes suas, Scripturam adferunt. Copernicæi, propter probabiliorem (ut putant) Hypothesin suam, sed altè nimis & verè præconceptam, omnia, quæ, quot, quantaque sunt, Scripturæ loca, apparentiæ, hallucinationis humanæ, & Spiritus S. balbutiei prætensione, eludunt, si non exsibilant. At, jam triumphatos putant Ptolemaicos, quibus illudunt. Cur ita? quia omnia, 20. & quotcunque ultra afferri ab iis queunt, sacra, per hallucinationem Hominum & apparentiam, refellere possunt. Magnam ipsimet, insigniter autem Lansbergius, hallucinationem hallucinantur. Sed cur ita respondent? Quia Copernicus commodiorem in Mathesi & meliorem (nondum veriorem) invenit Hypothesin. Justificata est Sapientia à filiis hominum. Judicata à Doctoribus suis Veritas.

XIV. Cer-

XIV. Certè non considerant, non quærunt: an Ptolemaici eorum responsioni acquiescant? vel, an, sacrâ veritate salvâ, acquiescere possint, si maximè, rationibus victi, velint? Et, an hallucinationes istas admittant. Quæ enim veritatis ratio est: Spiritum S. in tot (quorum ultra viginti afferri possunt) tantique ponderis Oraculis, nobiscum semper hallucinari? Quis sanus, apparenter omnia & ad errorem proponi, absolutè, concedet? utpote, ubi nulla apparentiæ & hallucinationis ratio, vel necessitas id evincit; sed ex hypothesi præsumtâ ostenditur? Sed res mihi jam cum D. Lipstorpio est.

XV. Horum Te quoque, Clarissime LIPSTORPI, meminisse decebat, cùm in Copernico Redivivo, cap. 8. Num 5. 6. Scripturam, & qui eam in Controversiis philosophicis adhibent, omnino rejiceres: 1. Quia, Scientias Philosophicas, non ex libro Scripturæ, sed libro Naturæ, & ab iis, qui hasce callent, esse perdiscendas, Danielis exemplo patet. At Montes, videò, tuum superârunt animum. Et cœlum & animum mutasti? Ubi enim tua prisca & mens &, quâ Verbum Dei tam piè olim veneratus es, fides? Pia certè & sale aspersa sunt verba, quæ in Exercitationibus tuis Academicis, Exer. 6. §. 124. exstant. *Quod observans*, inquis, *Franciscus Vallesius in philosophia*

rum jacent in Scriptura. Ergo Astronomia & Geometria sacris literis sunt contrariæ. Imò, quia jacent, quia non sunt, non contrariantur. Si enim essent fundamenta in Scripturis Astronomica & Geometrica, tum forsitan sibi opponerentur, discreparent! Ergo DIVERSA erunt, Scriptura & Astronomia; non Contraria.

III. Quid quæso, obstabit, si dixero, aliam esse Geometriam Philosophiæ; aliam Theologiæ? Satis certè exinde faciam Lansbergio, qui; in Commentationibus in Motum Diurn. & Annuum Terræ, decertat. *Legimus*, inquit. 1. *Reg.* 7. 23. *&* 2. *Chron.* 4. 2. *Salomon inter alia templi Hierosolymitani instrumenta fecisse Balneum æreum, à vastitate Mare dictum: cujus diametrum metiebatur filum decem cubitorum: circumferentiam verò, filum cubitorum triginta. Ubi proportio Diametri ad Peripheriam statuitur ut* 10. *ad* 30. *aut ut* 7. *ad* 21. *Sed Archimedes demonstrat in sua cyclometriâ, Diametrum esse ad suam Peripheriam, ut* 7. *ad* 22. *fere; ut inter utramque mensuram intercedat differentia integri cubiti. Quod si quæras, utra harum propositionum veritati propior sit? Respondebo proximam eße Archimedæam, quæ certißimis innititur Geometriæ fundamentis, non illam quam Spiritus S. alteri instituto intentus, populari & recepto more contentus fuit referre. Quare*

cui-

evidens est, vel hoc exemplo, quæ ad Geometriam pertinent ex hac, non ex S. Scripturà esse demonstranda. Resp. 1. Ad ista D. Jacobus du Bois, Dial. Theol. Astron. pag. 12. rectè respondit, in verbis istis Synecdochen esse numeri rotundi, pro paulo majori. Dices: Scripturæ ideo fidem habendam non esse? Resp. Neque D. Lansbergii (loquor cum Ecclesiaste) Commentationibus habenda fides erit: qui hacce Numeri Synecdoche passim utitur. Sic dicit: Saturnum suum perficere cursum annis 30. Jovem 12. Martem 2. cùm ex Tabulis ipsius liqueat, Saturnum suum orbem absolvere, annis 29. diebus 155. Jovem, annis 11. diebus 313. Martem anno uno & diebus 321. Instantias plures Autor laudatus, l. c. ex ipsius proponit Tabulis. 2. Spiritus S. Architecti factum recenset, quod, more vulgato, non exactum erat: mensurantes enim materiam, propter 30. negligunt unum vel duos pedes; dicuntque, rem, præterpropter, tot & tot pedum esse vel ulnarum. Fuit proportio illa de facto; non verò de jure.

IV, 3. Diversa sunt, Scriptura & Geometria; non autem Contraria. Diversus ergo in ipsis res tractandi modus erit. Et sic, Diametri ad Peripheriam quoque proportio in Geometria, exacta & accurata: in Scriptura, rotunda, &, quæ obiter saltem attingitur, erit. 4. Minus nihilo est, quod objicitur, illam

illam, SS. Diametri ad Circumferentiam proportionem, Archimedæam non fuisse, Resp. Sed fuit Hebræa, communis: quam Moses ab Ægyptiis, Abraham à Chaldæis &c. didicerunt. 5. Dubitasse debebamus: an illa Maris ænei circumferentia rotunda *exactè* fuerit? *Alicubi* forsitan in ovalem figuram deflexit? 6. Examinandus fuit circinus. 7. Denique mensuratio ipsa, num accurata fuerit. Omnia hîc dubia. Sed neque nos Diametri ad Peripheriam proportionem ex SS. discere; sed Euclide, sed Archimede volumus. 8. Lansbergius etiam de Archimedæa, 7. ad 22. proportione, dicit; illam sese ita *ferè* habere. Si *ferè*. Ergo non exactissimè. Ad minimum: non semper, aut difficulter, procedit.

V. Quæsitum igitur est: utrum S. Scriptura dubiorum naturalium, atque ita Mathematicorum sit propriè norma? Sobriè quæritur, ut veritati consulatur. Masculè hanc quęstionem tractat Amplissimus Sperlingius, in Instit. Physic. in Procem. qu. 4. Versat eam quoque Clarissimus Lipstorpius, l. c. n. 1. Ubi, quod in eo laudo, Scripturam quidem infallibilem Veritatis esse normam, ingenuè profitetur; eandem tamen Scripturam, Astronomicarum quæstionum Normam, & adæquatum esse Judicem, rectè etiam pernegat; ductus ratione, n. 3. descriptâ: *Cum enim*, inquit, *hujus proble-*

blematis nostri (intellige, de Terræ motu) *fundamenta ponantur in Astronomia & Geometriâ, hoc est, in Mathematicis disciplinis* &c. *Indignum profectò est, & cum insigni mentis dedecore conjunctum, velle hominibus, Mathematicarum & veræ Philosophiæ ignaris, hanc licentiam concedere, ut illa, quæ expurgati intellectus facultate adminiculante, & apparentiarū omnium testimoniis vera esse ab omnibus cum saná ratione philosophantibus deprehenduntur, uno ictu evertant, proscindant, & ex principio heterogeneo malè ad suum propositum applicato falsitatis postulare præsumant.*

VI. Actum certè de omnis scientiæ humanæ certitudine esse, tecum, tuus Lector, judico. Nec quicquam addo. Hoc tamen: Scientiarum certitudinem à Scriptura formaliter non dependere. Et: propter materialem aliquam & externam Scripturæ repugnantiam, non statim noster Intellectus alienæ mancipium fit libidinis: non divinæ statim auræ particula tollitur: non Ratio rejicitur.

VII. Multa siquidem in literis Sacris dicuntur, quæ formaliter distingui à nobis volunt. Methodus in Sacris est; sed à nobis in ordinem redigenda: quia dispersa est. Definitiones ibi continentur; at à nobis formandæ. Divisiones innuuntur; non exprimuntur semper: forsitan, ut auræ divinæ par-

particula, ratio, occupata in talibus sit: collatio enim ordinata, est nostri intellectus operatio. Nusquam summus laudatur Aristoteles; nisi ubi res distinguit, atque ita benè docet.

VIII. Librum igitur, non Scripturæ, sed Naturæ, ad res disquirendum naturales, volvendum nobis esse, rectè exinde arguitur. Quapropter, errare suâ volunt sponte, qui in omni qualicunque dubio ad Scripturam unicè recurrunt. Suæ certè ignorantiæ asylum ibi quærunt; non scientiæ fundamentum.

IX. Philosophi interim erit, Sacras etiam scire literas: locus enim à divino testimonio non rejicitur. Multùm certè, hîc loci etiam, potest. Sic igitur, inquies, Scripturam Philosophiæ esse normam oportebit. Neutiquam. Distinguo, inter Scripturam Judicem; quod nego: & Scripturam Testem; quod omnino assero. Philosophus quippe suum declarat subjectum; Medium verò Terminum, (Rameis, argumentum tertium) unde potest, haurit.

X. Nec sequitur: probantem ex Sacris ideo, & statim, esse Theologum: quemadmodum non concluditur, eum esse Ethnicum, qui ex Ethnicorum libris, quatuor esse Elementa, & alia, docet. *Multa Aristoteles didicit à piscatoribus, multa à venatoribus: nec tamen hinc vel piscator, vel vena-* *tor.*

tor, audit, inquit Dn. Sperlingius, l. c.

XI. Declaro jam ſententiam, & reſpondeo: *Scriptura eſt infallibilis rerum Philoſophicarum norma: heterogenea, non verò homogenea.* Explico. *Eſt norma*: eſt enim prima Veritatis Regula. *rerum philoſophicarum*: quia teſtimonium Scripturæ de illis non rejicies. *infallibilis*: non enim in tua per eam demonſtratione falleris. Si tamen falſus es? non hoc divina habebat Scriptura; ſed hoc ſenſerat humana (*tua*) ignorantia, dicente Auguſtino. Et verè, & philoſophicè quidem. Quoniam, quicquid Scriptura confuſè eloquitur, tu apprehendere diſtinctè debes. Si illa rei materiam habet; in ea tu formam non quæras. Materiale, inquam, tibi Scriptura aliquando dabit; Formale non ſemper; imò rariſſime. Apud Ægyptios quærendum erit, quicquid te Moſes docere noluit; Et, privatim rogandus id erit Moſes, quicquid publicè proferre nequivit. *Heterogenea*; quoniam ſuo adæquata non eſt normato. Argumentor, & deſino.

Omne Menſurans adæquatum eſſe debet ſuo menſurato.

Scriptura eſt menſurans.

Ergo debet adæquata eſſe ſuo menſurato.

Quòd menſuratum, res ſint Theologicæ ad ſalutem; non autem philoſophicæ, quâ tales,

tales, ad ſcientiam. Ergo Scriptura norma Philoſophicorum dubiorum adæquata(clariùs:conveniens) non eſt: non homogenea: non judex; ſed teſtis tantùm eſt.

XII. Atque ita Normam, concordi ratione, cum Lipſtorpio conſideravi. Sed ille argumento hocce Ptolemaicorum petit jugulum, l. c. n. 6. *Quapropter*, inquit, *negligunt ſcopum Scripturæ S. quotquot Geometricas & Aſtronomicas quæſtiones ad ejus normam expendunt*, *faciuntque* μεταβαίνουσιν εἰς ἄλλο γένος, *quam ipſi alioquin improbant.* Quæ verba mulctam dicunt Ptolemaicis. Sed, quam ſibi dicere etiam debuit Lipſtorpius, cum aliis, qui in eandem impegerunt Lapidem, Si enim, Scripturam pro Terræ quiete adducentibus, principium ſimpliciter negatum, &, ceu inconveniens Themati, à Copernicæis non acceptatum fuiſſet: accuratius, credo, in principia & normam inquiſitum fuiſſet, neque, diſputando de principiatis, huc uſque contentionis protraxiſſemus ſerram.

XIII. Summum certè Eruditorum Orbis votum eſt: utinam Ptolemaici Copernicæis ſacras in hac materia literas non oppoſuiſſent directè: ſuffeciſſet enim ex abundanti intuliſſe! Utinam rationibus phyſicis, & Obſervationibus invicem egiſſent. Utinam Ptolemaici Scripturam, vel non acceptaſſent, vel acceptatam examinaſſent meliùs!

liùs! Ego in Controversiæ hujus ventilatione rationes, materiæ subjectæ convenientes, audio libentissimè & expendo. A rationibus ad Scripturam confugientes, causâ cecidisse, judico. At, si adducuntur ab una; si etiam ab altera assumuntur parte Scripturæ loca; examinandum penitiùs eorundem sensum, & sine præjudicio quidem alterutrius Partis Hypotheseos, censeo.

XIV. Horum, quæ dicta jam sunt, retorsionem in me quoque parabit nonnullus. Si, inquiet, Scripturam adæquatam esse rerum Mathematicarum normam, negas; cur igitur eandem contra Copernicæos, tot Locorum Examine, urges? Resp. Urgeo: & Ptolemaicos contra, & Copernicæos. Illos: quòd saltum tot jugerum in Scripturam faciant: eamque, Mathematicis & physicis demonstrationibus neglectis, contra Adversarios, solam & solùm sæpissimè, stringant: cum tamen Scriptura, Testem se ibi rei & materiæ offerat; non Judicem formaliter etiam constituat. Et, cùm de Solis motu & Terræ quiete tam clarè ex Sanctis edocti Scripturis sumus, ut nullum nobis ea de re oriatur dubium: cur, quæso, sancto Dominam non veneramur silentio; & interea, quæ nobis cum ancillis sunt, transigimus, conferimus, lites componimus?

XV. Copernicæos autem urgeo; quod, objecta sibi in còntrarium, Scripturæ testimonia

monia tam ſalsè rideant, tam ſuperbè & contemptim excipiant, tam (dico, quod res ad cœlum clamat) obiter & negligenter ad ea reſpondeant. Circumſpiciendum certè militi ſuum eſt telum: an contra hoſtem valeat. Bonus miles ſuum acuit gladium: hunc expolit: hinc & illinc flectit, & variè verſat, ictum vel in aëre, experitur. Non aliter decebat Copernicæos, in ſuam ipſorummet inquirere reſponſionem.

XVI. Quæram enim; An Terra, vel Sol moveatur? an hic, vel illa centrum ſit? Ptolemaici, poſt rationes ſuas, Scripturam adferunt. Copernicæi, propter probabiliorem (ut putant) Hypotheſin ſuam, ſed altè nimis & verè præconceptam, omnia, quæ, quot, quantaque ſunt, Scripturæ loca, apparentiæ, hallucinationis humanæ, & Spiritus S. balbutiei prætenſione, eludunt, ſi non exſibilant. At, jam triumphatos putant Ptolemaicos, quibus illudunt. Cur ita? quia omnia, 20. & quotcunque ultra afferri ab iis queunt, ſacra, per hallucinationem Hominum & apparentiam, refellere poſſunt. Magnam ipſimet, inſigniter autem Lanſbergius, hallucinationem hallucinantur. Sed cur ita reſpondent? Quia Copernicus commodiorem in Matheſi & meliorem (nondum veriorem) invenit Hypotheſin. Juſtificata eſt Sapientia à filiis hominum. Judicata à Doctoribus ſuis Veritas.

XIV. Cer-

XIV. Certè non considerant, non quærunt: an Ptolemaici eorum responsioni acquiescant? vel, an, sacrâ veritate salvâ, acquiescere possint, si maximè, rationibus victi, velint? Et, an hallucinationes istas admittant. Quæ enim veritatis ratio est: Spiritum S. in tot (quorum ultra viginti afferri possunt) tantique ponderis Oraculis, nobiscum semper hallucinari? Quis sanus, apparenter omnia & ad errorem proponi, absolutè, concedet? utpote, ubi nulla apparentiæ & hallucinationis ratio, vel necessitas id evincit; sed ex hypothesi præsumtâ ostenditur? Sed res mihi jam cum D. Lipstorpio est.

XV. Horum Te quoque, Clarissime LIPSTORPI, meminisse decebat, cùm in Copernico Redivivo, cap.8. Num 5. 6. Scripturam, & qui eam in Controversiis philosophicis adhibent, omnino rejiceres: 1. Quia, Scientias Philosophicas, non ex libro Scripturæ, sed libro Naturæ, & ab iis, qui hasce callent, esse perdiscendas, Danielis exemplo patet. At Montes, videò, tuum superârunt animum. Et cœlum & animum mutasti? Ubi enim tua prisca & mens &, quâ Verbum Dei tam piè olim veneratus es, fides? Pia certè & sale aspersa sunt verba, quæ in Exercitationibus tuis Academicis, Exer. 6. §. 124. exstant. *Quod observans*, inquis, *Franciscus Vallesius in philosophia*

ſacrâ, *ſuum laborem hoc ornat programmate*, *HACTENUS SCRIPSI AD OPINIONEM, NUNC SCRIBAM AD VERITATEM. Quaſi dicat*, *ſolam Scripturam ſacram eſſe canonem veritatis in philoſophiâ.* 2. In Copern. Rediv. c. 8. n. 4. *Non enim*, dicis, *Scripturæ ſacræ nobis ſunt à Deo datæ*, *ut ex iis philoſophari diſcamus*, *& ut homines Mathematicos & phyſicos efficiant*, *ſed ut homines ad ſalutem inſtruant*, *gloriamque cæleſtem præparent* (*teſtante Apoſtolo.*) Contrarium verò in Exercit. 6. §. 124. ſentis, cum ſic excipis: *Tam etſi enim Scripturæ Sacræ non ſunt à Deo datæ*, *ut diſcamus inde philoſophari*, *nihil tamen impedit*, *quominus inde excerpamus ſemina & principia bonarum artium.*

XVI. Etſi igitur Geometriæ & Aſtronomiæ fundamenta tradere Spiritus S. noluit; tamē ſemina & principia bonarum Artium, & ſic Geometriæ, Aſtronomiæ, Architectonicæ, &c. Scientiarum Mathematicarum, tradidit. Confusè quidem & minùs accuratè: tradidit tamen. Tibi verò excolendam reliquit Methodum.

XVII. Intuere, quæſo, Cœli exercitum! Annon ibi luminaria vides: Magna, minora, Maxima: certis claſſibus diſtincta & Orbibus. Ecce tibi Materiam Aſtronomiæ. Audi, quid Cœli Terræque Imperator offi-

cii

cii Luminaribus hisce demandet? Fiant, inquit, Luminaria in firmamento Cœli; & DIVIDANT diem ac NOCTEM: & sint in SIGNA & TEMPORA, & Dies, & Annos. Vides, etiam formaliter hinc & inde inspersam Astronomiam, Chronologiam? Quid hoc est, *dividant diem ac Noctem?* Clarior tantùm deest Explicatio. Scilicet, Diem esse, dum Sol nostrum illuminat Horizontem: Noctem, dum infrà, apud nostros versipedes, commoratur. *Quid Signa?* Quatuor Anni temporum: Veris, Æstatis, Autumni, Hyemis. Signa Anni. Signa Mensium. *Signa*; philosophicè, subjecta Ecclipsium. Si vis Astrologiam? signa iræ Dei, & generis humani calamitatum, Gen. 9. vers. 13. Joël. 2. v. 30. 31. Luc. 22. v. 25. Quanquam hæc remotè hîc accipiantur. Omnia hîc plana: nisi, quod de Circulis, Æquatoris, Cancri, Capricorni &c. de Solis in Ecclíptica revolutione, nihil dicatur. At ista rationis sunt Entia: quædam ratiocinantis: quædam etiam ratiocinatæ. Ergo, quia imaginarii Astronomiæ orbes in Scriptura S. non docentur, in Scriptura nullæ omnino res habebuntur Astronomicæ? Quæ consequentia? quæ ratio? Ego quidem concludo. Si in S. Scripturâ res continentur Astronomicæ, sequitur aliquid in Astronomia per illas res probari & declarari posse. Quanquam probatio talis per accidens fit.

 In

In Arcam Noachi ingredere. Architectonicam, à Deo propositam Noacho, inibi miraberis; ut & Geometriam, in Arcæ commensuratione.

XVIII. 3. Ibidem loci, Exercit. 6. §. 124. lego istà: *Scripturæ liber non est norma controversiarum Physicarum homogenea, est tamen infallibilis, secundum quam omnium aliorum scripta dijudicari debent ac possunt. NEQUE VERO PHYSICUS FALCEM IN ALIENAM MESSEM IMMITTIT, si subjectum suum è Physicà sacra, sive Christianâ & Mosaicà declarat, mediumque terminum, unde potest, haurit. Illius enim testimonium ipsa divina veritas & sapientia est.*

XIX. Quàm Sanctè & piè, verè & doctè scripta hæc sunt! Quæro tamen aliquid. Cùm Physicus, suum è Physica sacra Christianâ & Mosaicá, subjectum, declarans, non peccet: quo, quæso, jure Mathematicus peccabit, cùm, ad suam astruendam Hypothesin, Medium Terminum, unde potest, & sic ex Sancta etiam Scriptura, hauriet? Si potest, inquam. Quare μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος faciunt? Quare falcis in alienam immissæ messem à Te postulantur? Peccat, qui in *alienam* messem, *Domino invito*, suam mittit falcem. At colonus in agro etiam alieno, quod suum est, demetit. Jam Philosophus, Geometra vel Astronomus,

quan-

quando Sacras literas suâ apprehendit falce, eritne alieni reus? Neutiquam: quia in ALIO tantùm messuit agro; non verò in ALIENO. Si enim Philosophica, & sic Geometrica, in Scripturæ agro consita quoque à Spiritu S. sunt; tum Philosophus, SUA inibi demetens, facit hoc in ALIO tantùm fundo; non in ALIENO. Consentiente etiam DOMINO: Spiritu Sancto.

XX. Non igitur scopum S. Scripturæ negligunt, quotquot Geometricas & Astronomicas quæstiones ad ejus Normam, heterogeneam & inadæquatam, aliquando & per accidens, expendunt. Neque in alienum transiliunt genus; sed in aliud: quia suas ibi inveniunt fruges.

XXI. Quod verò ibidem, Copern. Rediv: cap. 8. n. 6. Concludis: illos, qui ex S. Scripturâ, pro suâ Mathematicâ assertione, argumentantur, *asserere nunquam posse, veritatem esse unam & simplicem; adeoque non posse esse falsum in Philosophiâ quod sit verum in Theologiâ. Quæ tamen axiomata in omnibus Scholis personant. Sed cogentur hoc loco παραλόγως admittere; illud, quod est falsissimum in Mathesi & philosophia, esse verum in Theologia, quod est absurdissimum.* Quod, inquam, l.c. sequi ex S. Scripturæ in Philosophicis rebus adductione, dicis: periculi nihil est. Negabo consequentiam. Namque 1. possum veritatem con-

 side-

ſiderare, vel in eſſendo, vel in cognoſcendo. Materialiter, vel formaliter. Materialiter, propoſitio Philoſophica contrariari Theologicæ videtur; Formaliter verò nec videtur, nec contrariatur. Exempli gratiâ. Defenſurus hominis generationem: dico, eum ex Maris cum Fœmina congreſſu, ipſorumque ſeminis & ſanguinis collatione, progenerari. Quod ipſum phyſicè demonſtro. Alter verò, curioſitatis cauſâ quærit: an non ſine tali parentum congreſſu homo generari poſſit? Ego autem ei, id impoſſibile ex naturæ qualitate, phyſicè adhuc probo. Tandem, ſi ipſius naturæ certitudinem ſcire ex me velit, in teſtem voco Scripturam & quidem tam Creationis, Gen. 2. v. 27. 28. quàm Diluvii Hiſtoriam, Gen. 6. v. 19. Cui teſtimonio ipſe, niſi ἀῤῥωςία τῆς διανοίας laboret, acquieſcet. Jam propoſitio Scripturæ exinde ei in teſtimonium erit: homines non poſſe ſine Maſculi & fœminæ conjunctione multiplicari, naſci. Phyſica idem pronuntiabit. Quæ ergo hîc erit diſcrepantia? Nulla omnino. Et tamen phyſicum ex Scripturâ axioma deſumtum, per ejuſdem teſtimonium eſt probatum.

XXII. 2. Propoſitiones iſtæ: Virgo non parit, naturaliter: Virgo parit, ſupernâturaliter: quales, quæſo, ſunt? Eſtne una eademque earum, in ſuo loco, Veritas? Confidenter dico, unam eandemque Propoſitionum harum

rum esse veritatem utrobique: & in Theologia, & Philosophiâ. Utrumque verum est in Theologia: docet enim, virginem, quæ virum non cognovit, parere ordine naturæ non posse: &, Virginem, quæ non cognovit virum, extra & super naturaliter parere potuisse.

XXIII. Ita quoque Philosophia: alterum docet: scilicet, Virginem physicè parere nequaquam posse. Alterum credit: Virginem nempe parere hyperphysicè potuisse. Et verè dicit, *potuisse* quia potentia: hæc traducta verè in actum est. Frustra autem est potentia, quæ non *quocunque modo* traducitur in actum. Si igitur Propositiones Theologicæ & Philosophicæ in Philosophiâ: & Philosophicæ Theologicæque in Theologia veræ determinativè sunt: Ergo Veritas una eademque est in Philosophia & Theologia. Atque ita minimè inter se pugnant.

XXIV. Ad gratiam suæ Hypothesi impetrandam, dicis l. c. n. 7. eam, (de Terræ mobilitate) sententiam esse assertam ab iis, *qui omnes antea Ptolemaicæ fuerunt addicti sententiæ. 2. ab iis, qui vel ipsi Theologi & Ecclesiastici Viri fuerunt; vel iis certè familiarissimi & Scripturarum non ignari.* Quos quidem ego Viros veneror; sed Tibi consequentiam nego: quia perpetua non est.

XXV. Dicam enim: multi insignes Viri,

qui antea Ptolemaicæ opinioni fuêre addicti, postea, aliam edocti, eandem repudiarunt? Libellum dederunt, & in eo rationes, repudii: quia, scilicet, Copernicæa Hypothesis, doctrinæ, methodi felicioris, & facilioris in Mathesi progressûs causâ, potiùs ipsis allubuerit. Cæterùm, sententiam vulgò receptam, & Sanctis Scripturis literaliter consonam & sensualiter, (formalitatem hanc verborum de Solis motu; non verò motùs ipsius, esse volo) non penitus abjicientes; sed eam in Theoria: Copernicæam in praxi commodiore, retinentes: quemadmodum, istas Hypotheses, sibi contradicentes, debere propter S. Spiritus oracula, esse subordinatas, suprà probavi.

XXVI. Dato verò; eos, qui antea Ptolemaicæ fuerant addicti, postea, aliam edoctos, eandem repudiasse simpliciter Sententiam. Annon Elenchus ignorabitur? Repudiârunt sanè. Non sufficit; nisi rectè, & ex causâ sufficiente, repudiârint. Etiam blasphemus Hæresiarcha, Arius, antehac Orthodoxus, priorem repudiavit sententiam. At, rectenè fecit? Actiones bonæ non sunt bonæ: nisi fiant benè.

XXVII. Quòd verò tot, tanti, & Ordine & Literis & Dignitatibus illustres Viri, contrariam Ptolemaicæ sententiam tulerint, & amplexi eam communiter sint: illud Copernicææ Familiæ ornamento; nequaquam

quam fulcimento, erit. Quemadmodum enim, Philosophum appellare Philosophiam, religio nobis est: ita, tot Viros, veritatis licet studiosissimos, appellare Veritatem, atque ita Pythagoreis eorum effatis acquiescere simpliciter, piaculum esse, scio. Quo expiandum facinore, nescio.

XXVIII. Sed neque, Te, Clarissime Lipstorpi, insignes hosce Viros, probationis loco, adduxisse, puto; sed illustrationis tantùm gratiâ, in tuâ eorundem, n. 7. Laudatione, deprehendo. Secuti aliam Viri isti sententiam? Gaudeant eadem: quia rationes habent. Cæterùm, Divinæ non præscribent Veritati. Neque famosum Problema, à sua parte, ex ejusdem expositione probabunt. Rationibus hîc agendum. Quòd cùm faciunt: non Eos; neq; Te, Vir Doctissime, oppugno. Si tamen quid habeo: non contra Te; sed TECUM, habeo. Confero. Veritatem quæro. Lectorem informo. Tuam hîc ingenuitatem laudo. Quamvis tuam à SS. literis apostasiam reprehenderim. Pergo.

XIX. Postquam Sacras Ptolemaicorum Objectiones in quatuor redegisti Classes: ad omnia, quotquot à Te recensita sunt, Scripturæ loca respondere communiter Copernicæos ais, c. c. n. 13. *Hasce*, inquis, *Scripturæ autoritates in quatuor Classes à nobis digestas, qualitercunque contradicere videatur, cum Pythagoricâ sententia facilè tamen*

posse conciliari: siquidem in iis locis Scriptura Sacra loquatur secundùm nostrum modum considerandi, apprehendendi, concipiendi & secundùm id, quod apparet respectu nostri. Respondent, inquis, *communiter Copernicæi?* At ego dico: quia respondent tantùm, & non simul responsionem probant, insufficienter respondent: quia communiter, non ad rem, respondent. Paria sunt: nihil respondere, &, non legitimè.

XXX. Tralatitium Serenissimi quondam Poloniæ Regis, Sigismundi III.& verè regium effatum: QUOD OMNES CURANT, NEMO CURAT. Dico & ego confidenter: quod omnes respondent, nemo respondet. Omnes dicunt, Sanctam Scripturam secundùm captum, apparentiam & opinionem nostram loqui. Sed dicunt. Nos dicta audimus. Mentem non explemus; sed, tam obiter & leviter responsum nobis datum, indignamur. Ex limpidissimis Israëlis fontibus: ex analogia, scopo & sensu: ex Sacrorum textuum collatione, Apparentiarum error & hallucinatio demonstrari, & non objici, temere debebat. Facilè rejicere oportet, quod temerè allatum est. In tenebris sumus? Ostendatur Lux, ut, nos in iis fuisse, tandem videamus. Antiquâ Fide hîc agendum est: ut, inveteratum dogma esse erroneũ, deprehendatur.

XXXI. Non verò existimes, Cl. Lipstor-

pi, me indignari. Cui enim, umbra, succensebo? Non mihi, inquam, indignor: ut qui vestras Copernicæas non omnino rejicio demonstrationes; sed aliorum causâ, quibus vestræ satis nondum dederunt responsiones. Tu quidem, cap. cit. n. 2. indignè valdè fers, & tantùm non exsecraris: *quod Adversarii suas male sanas & absurdissimas opiniones harum Authoritate palliare, & imprimis ex illis dogma inveteratum, de Globi Terreni immobilitate, probare satagant.* Et rectè indignaris, si opiniones malèsanas & absurdissimas esse, si Adversarios, ex naturalibus & Mathematicis principiis, convictos, prius ostendere poteris. Indignor & ego ipsis: quia ad Scripturam, SIBI NON SCRIPTAM, confugiunt; ad illam Judicem appellant: illam Normam invocant; cum illa testis tantùm in alienis esse velit. Et facerent sanè id. Stat enim à parte ipsorùm S. Scriptura, contra Vos. Quod si ex legitimis & naturalibus principiis disputare, pro suâ parte, nolunt; aut non possunt: causâ eorum desperata est. Ceciderunt.

XXXII. Scripturam igitur utrimque omittite. VOBIS non est scripta; sed NOBIS, qui MANALIA & Opera DEI, juxta eloquium ejus, loquimur, 1. Pet. 4, v. 11. Qui Cœlos DEI, Lunam & stellas, contemplamur duntaxat, & admira-

bile Domini Dominantis nomen, cum Davide, Pſ. 8. glorificamus; non verò eoſdem Cœlos vobiſcum volvimus, ſecamus &c.

XXXIII. Oſtendendum interim Vobis eſſe, veſtram, quam prætenditis, Apparentiam vulgarem, Sacrum evertere textum, eundemque contaminare. Quod ſi evicero, (evictum jam eſt) nihil amplius & aliud, quod repoſueritis, habebitis: fatente, quem allegas, ipſo Langio. Cujus, à te allatam, ſententiam ſequenti Problemate diſcutere mihi incumbit.

PROBLEMA II.

AN Scriptura S. DEO humana membra anthropopathicè tribuendo, ſemper ſecundùm vulgi de Deo opinionem loquatur? Reſp. Non ſemper. Non ubique.

I. SUprà memoratus D. Lipſtorpius, ſtatuit, Apparentiæ errorem in Sanctis quoque debere Scripturis intelligi juxta verſum, Æneid. l. 3.

Provehimur portu: Terræque Urbeſque recedunt.

In ſuæ ſententiæ ſocietatem trahit C. c. n. 14, Wilhelmum Langium, Longomontani veſtigia prementem, qui lib. 1. de Annis Chriſti c. 2. diſcurſum ſuum, de Terræ mobilitate, hiſce obſignat verbis: *Manet*

ergo

ergo Terra suo loco fixa, nec ullum alium motum facit præter illum, quo dies noctesque dirimuntur. Scio quidem, sanctissima divini verbi oracula huic sententiæ opponi: quibus ego nihil aliud repono, quam quòd Spiritus Dei ad vulgi sensum & mentem se accommodet. Ex infinitis istud locis probari posset. Cur manus pedesque infinito illi Cœli Terræque præsidi scriptura tribuit? An, quia ita est? Minime: sed quoniam à finitis mortalium mentibus incomprehensibilis ac infinita Deitas comprehendi nequeat, visibilibus speciebus semetipsum hominibus ingerit. Idem in aliis usu venit. Sublimibus enim Naturæ mysteriis Deus benedictus uti non voluit, ne imperitorum mentibus remoram injiceret.

II. Terram suo loco fixam, & nullum alium facere motum, nisi eum, quo dies noctesque dirimuntur, statuit Langius. Quæ sententia Nobilissimi Cartesii explicatione temperanda est. Docet ille, Terram suo loco fixam stare; nimirum, ab interno eam non moveri principio. Si verò motum facit, quo dies noctesque dirimuntur; tum se motus ille ad Terram passivè habet. Non enim ipsa à se movetur; sed à materia cœlesti in sua Sphæra defertur: atque ita movetur. Quæ, quantum ex sublimibus ejusdem principiis, part. 2. princ. philos. art. 31. & part. 3. art. 25. assequi possum, admirandi Phi-

Philosophi sententia erit. Quæ mihi observanda maximè, & præ aliis, sequenda quoque erit. Eam tamen hîc, ut & Terræ Motum, in medio relinquo. Ad Sacra.

III. Sententia Langii communis est, Spiritum Dei ad vulgi sensum & mentem se accommodare. At unde illud probat? *Ex infinitis*, inquit, *istud locis probari posset.* Pace Viri doctissimi dico: ex paucis admodùm. Videamus. *Cur*, pergit Langius, *manus pedesque infinito illi Terræ præsidi Scriptura tribuit? an, quia ita est? Minimè*: Cur quæso? quoniam, inquit, *à finitis mortalium mentibus incomprehensibilis ac infinita Deitas comprehendi nequeat, visibilibus speciebus semetipsum hominibus ingerit.*

IV. Rectè sibi respondet Langius; nobis insufficienter. Adderem ego & meam rationem. Dici, nimirum, ista anthropathice, propter analogiam ad homines; non verò propter hominum opinionem: quia ipsi, Deum dextram, manus, os, aures, faciê, pedes, & cor habere putaverint. Quod falsissimum esse, & Prophetæ & Judæi sciebant, docentes, legentes verba, Esa. 40. v. 18. *Cui similem facietis Deum? aut quam imaginem ponetis ei.* Et alibi: *Deus non est homo, quem pœniteat*, 1. Sam. 15. v. 29. Deinde: sciebant Judæi, Idololatriæ speciem esse, Deum in figurâ aliena concipere. Ergo Judæi,

Judæi, Deum humana habere membra, opinati non ſunt.

V. Dicitur tamen de eo quid humani: tribuuntur ei humana membra? Reſp. Per ἀνθρωποπάθειαν, hoc eſt, per ſimilitudinem Dei ad Hominem; non per opinionem hominis de DEO. Quid enim Anthropopatheia? Eritne craſſa, de DEO, Anthropomorphitarum opinio? Neutiquam: illi enim Deo membra humana verè tribuebant. Eſt ergo anthropopatheia nihil aliud, quàm ſimilitudo Hominis ad DEUM. Præterea, Metonymicè & Metaphoricè iſta DEO tribuuntur. Metonymice, tanquam ſignatorum ſigna: ut, brachium: ceu ſignum Potentiæ Divinæ. Dixerunt ergo Judæi brachium; ſed inſignem Dei Potentiam intellexerunt. Idem eſto de aliis etiam membris judicium.

VI. Aliam adhuc rationem, ſi divertere paululùm intra Theologorum licet pomœria, dabo. Forſitan Deus humana ſibi membra applicat, ideo: quia hominem valde & ſupra omnes ferè creaturas diligit. Quæ dilectio tum patuit, cùm DEUS manifeſtaretur in carne; quam, in Divinitatis ὑπόστασιν aſſumtam, λόγος adeo ſibi adunivit, ut, in perpetuum ſe eam non depoſiturum, pronunciaverit, quam ſemel in tempore aſſumſerat.

VII. Confirmatur hoc: quia, cur non bru-

brutorum potiùs qualitatis singularis membra sibi DEUS attribuit? V.g. in suâ potentia & virtute explicandâ, cur non robori: cur non taurorum cornibus potiùs, quàm dextræ hominis, se assimilavit. Et, si fecisset maximè: sicuti, jam Monoceroti, jam Leoni, jam aliis generosioris naturæ brutis, & in Jobo quidem, sese assimilat; quid, nisi Eminentiæ similitudo, est? In Deo quippe robur & fortitudo Hominis, Tauri, Monocerotis, Leonis, & aliarum omnium creaturarum virtutes & privilegia eminenter sunt; licet non formaliter. Habet enim Deus, supra robur Tauri, &c. aliquid nobilius, cum vi effectivâ talis rei. Atque ita robur in Deo infinitis est modis perfectius, cum vi, robur & potentiam illam, quâcunque id faciat ratione, exerendi.

VIII. Denique argumentor: Si Deus imaginationi tali, qua homines, eum membra humana habere, putârunt, condescendisset: tum Idololatriæ condescendisset; neque eam tam severè, jam per Mosen, jam Esaiam &c. prohibuisset. At contrarium, n. 4. evictum est. Hactenus cum Langio.

* * * *

IX. Instituenda mihi quoque hîc sententiæ collatio cum D. Wittichio: qui omnibus Copernicæis accuratiùs in famosam illam, de Motûs Diurni Subjecto, Quæstionem inquisivit. Dicit autem, Diss. I. c. 2. art. 13.

art. 13. quòd Scriptura, in rebus divinis explicandis, *imò ad DEI ipsius naturam & attributa exponenda*, sese planè accommodet *ad captum nostrum*, &c. Quod ipsum cum eo affirmo; sed posterius cum salis micâ accipio.

X. Adducit Rabbi Maimonidem, part. 1. cap. 33. asserentem, *Legem* ibi *loqui secundùm linguam filiorum hominum, quia hæc ratio commoda & facilis est, ut ab eâ incipiant pueri, mulieres & communis plebs, in quorum viribus non est, res secundùm veritatem apprehendere.* Et in specie, part. 1. c. 26. *Quia vulgus hominum non apprehendunt ab initio cogitationis Entitatem vel Essentiam, nisi in rebus corporeis; describitur Deus per attributa & nomina corporea, ut doceatur ipsum esse Ens.*

XI. Sed, quia vir ille, Rabbi Moses ben Maimon, accurato D. Cunæi judicio, Vir gravis est: ut qui, *fato quodam & sorte nascendi, primus solusque in illâ gente* (Rabbinorum) *rectè intellexit, quid illud sit, non ineptire*; suam eidem relinquo auctoritatem: quia ab ipsius explicatione haud omnino ab horreo.

XII. Quæro autem ex D. Wittichio: quare Scriptura his vel illis anthropopathicis locutionibus utatur? Respondet, *quia loquitur lingua filiorum hominum*, &c. ut suprà. Rectissimè. Quæro ulterius: Quare

Lex

Lex Sacra Deo humana membra anthropopathicè tribuat? Respondet, ex Rabbini part.1.cap. 26. ut vulgus in rebus corporeis Deum apprehendat.

XIII. Dico adhæc: apprehensionem istam vulgo facilem & commodam; sed non utilem, non salutarem esse: quatenus scilicet corporea illa Dei apprehensio in vulgo AB INITIO COGITATIONIS est; hoc est, quatenus ex se & per se vulgus Deum, cum membris humanis concipit. Et ad talem sui apprehensionem Deus condescendere vulgo neutiquam vult, *Esa.*40.v 18. Rationem addo: quia vulgus Deum, per alicujus Hominis Individuum, temerè, & interdum parùm decorè concipit; id quod vel ipsi pictores produnt, Deum interdum scurriliter delineantes. Apprehensionem igitur vulgi, quatenus talis, & simpliciter vulgi est, rejicio.

XIV. Alia verò Deum apprehendendi ratio in vulgo esse potest: nimirum, DEI, per sapientissimam suam dispensationem, in figura hominis sese revelantis apprehensio. Cujus exempla habemus, Gen. 18. Item, Gen. 32. Abrahami certè Dei Veri apprehensio, ante manifestationem, ignorantia atque ita peccatum erat. Post manifestationem verò Dei in specie humana, miseratio atque ita (liceat loqui) condescenden-

den-

dentia DEI, ad captum & infirmitatem humanam ſublevandam; erat.

XV. Diſtinguo itaque apprehenſionem DEI in eam, quam vulgus ex & à ſe concipit fingitque; & in eam, quam Deus populum ſuum, parvulos ſuos, incapacitati eorum clementer & paternè ſuccurrendo, quaſi edocuit.

XVI. Cum ergo quæritur: Quare membra humana Deo tribuuntur anthropopathicè? Reſp. Non, quia ita à vulgo concipitur; ſed, quia in corporis humani forma, per ſingularem ſuam diſpenſationem, hominibus apparuit. Et, quia viſus ita eſt à Patribus, filii etiam Deum ad eundem modum concipiunt.

XVII. Et talem concipiendi Deum modum nos quoque habemus. Concipimus quippe adorandam SS. Trinitatem diverſimodè. Patrem in ſene, dierum antiquo: quia taliter ſeſe Danieli revelavit, Dan. 7. v. 9. 13. Filium, in aſſumtà humana natura: quia verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, Joh. 1. v. 14. Spiritum S. in ſpecie columbæ, Matth. 3. v. 16. in linguis igneis, Act. 2. verſ. 3. in vento vehementi, v. 2. & qui alii Deum ſunt concipiendi modi. Hi modi ſunt hominibus ad captum; ſed revelati. Et, quanquam infirmitas adhuc noſtra hîc eſt; Miſerator tamen Dominus, infirmitati noſtræ

nostræ propitius, modum huncce, sese concipiendi nobis paternè concessit; ut non reputetur nobis in peccatum.

XVIII. Huc quoque humanæ pertinent actiones: ut, stare, sedere, ambulare, habitare, dormire, surgere. Item, sensus: Auditus, Visus, Odoratus, Gustus, Tactus; quæ omnia Hebræi Deo tribuerunt. Sed, ea Deo propriè competere, negârunt. Exempli causa. Dicunt Hebræi cum Spiritu S. Deum dormire, Psal. 44. vers. 24. *Exurge, Domine, quare obdormis?* Psal. 78. vers. 65. *Et excitatus est, tanquam dormiens, Dominus: tanquam potens crapulatus à vino.* Eundem tamen iterum dormire, negant, Psal. 121. v. 3. 4. *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israël.*

XIX. Porrò: Si humana membra Deo Metaphoricè tribuuntur, & per similitudinem; sequitur quòd vulgus Deum, non in & cum membris, atq; ita Deum corporeum, conceperit; sed Similitudinis tantùm significationem. Dicendo enim dextram aut brachium Dei, intelligebant fortitudinem, aut Omnipotentiam ejus.

XX. Adducit autem D. Wittichius, l.c. art. 14. aliquot Cl. Schookii argumenta ex lib. 4. de Scepticismo, c. 19. p. 407. *Hæc* (inquit Schookius, de membris & aliis attributis humanis quæ de Deo in Sacris dicuntur,) *ut Deo tribuuntur Metaphoricè, &*

cè & pro Metaphoræ ratione explicari debent, sic non est existimandum (quemadmodum Audiani & Anthropomorphitæ somniabant) aliquid harum Deo convenire propriè & formaliter, sed duntaxat secundùm effectum. Et uti tropus non implicat mendacium, ita hæc ipsa convenienter explicata nihil falsi continent: siquidem hæ locutiones frequentantur, ut operationes Dei verè describantur, nobisque convenienter proponantur, quòd præ caligantibus mentis oculis, supremum illud Numen tale, quale illud in se est, intueri non queamus.

XXI. Ex quo Cl. Schookii argumento hæc tria ex cerpo. 1. Metaphorica pro ratione Metaphoræ explicari debent. 2. Tropus non implicat mendacium. 3. Anthropopathicæ locutiones frequentãtur, ut operationes Dei verè describantur. 4. (Paulo infra,) Deo membra & affectus & similia tribui, secundùm erroneum vulgi judicium.

XXII. Quam Cl. Viri objectionem D. Wittichius non solvit. Quod enim 1. dicit, locutiones anthropopaticas vulgi inniti præjudiciis; nondum ostensum sufficienter est. Distinctè autem ad hoc à me responsum est, n. 13. 14. 15. 16. 18. 2. Rationem reddit, quare Scriptura tales adhibuerit locutiones: nimirum, *quod Scriptura debeat promiscuè legi ab omnibus, quorum major pars variis præjudiciis est occupata.* Resp. 1. Præ-

Præcipuè legi debebat ab Eruditis in Lege, quorum erat, in Synagogis Legem ex Prophetis prælegere; ut iidem Eruditi populo rudi Scripturam ad mentem & genuinum Sancti Spiritus sensum exponerent. 2. Et, si variis præjudiciis vulgi pars major est occupata: Ergo Spiritus S. variis sese vulgi opinionibus accommodavit. At, quod non monstrum vulgus, istâ conceptuum varietate, de Deo concipit? Infra ostendetur. 3. *Metaphoræ*, inquit, *non sunt mendacia, at & concedendum erroribus, eas inniti*, scil. vulgi opinionum. Resp. Non sunt Mendacia? Rectè. Erunt tamen Metaphoræ falsæ. Atque ita non erunt Metaphoræ: quia in falsa vulgi opinione superstructi conceptus sunt; quos damnosos esse, simpliciter negat D. Wittichius. At nec cap. 2. art. 15. neque cap. 1. art 8. probat, sed nudè asserit duntaxat & negat.

XXIII. Neque solvitur, quam Cl. D. Schookius ibidem loci adfert, instantia. *Pariter*, inquit, *quippe dixeris ex vulgi judicio Deum in Scriptura ut avem proponi, quod tribuantur eidem alæ atque pennæ, Psal. 17. v. 8. Psal. 91. v. 4.* Major & Maxima horum est verborum; quicquid Deo in Sacris heterogeneum tribuitur, illud vulgus præconcepit, Ratio: quia propter vulgi captum, Scripturæ Sacræ linguâ filiorum hominum loquuntur, & eidem sese accommodant.

dant. Quam D. Wittichii, Diss. I. c. 1. art. 10. Maximam Cl. Schookius rejicit.

XXIV. Quid verò eidem reponitur? *Nec sequitur*, inquit D. Wittichius, Diss. 1. c. 2. art. 15. *Deum ut avem concipi à vulgo, eo quod ipsi tribuantur alæ. Sed vulgus celeritatem actionum concipere solet per celeritatem motus, hanc autem alarum ministerio optimè fieri solere existimat, ut multæ vulgares locutiones testantur, ex. gr. quando dicimus in lingua Germanica*, Er lauffet so geschwinde/ alß wann Er flöge/ item, Uberhin fliegen. *Sic* Galli à la volée, *Latini* avolare &c. *Inde factum est, ut Mercurio nuncio Deorum alas attribuerint.*

XXV. Negat Doctissimus Vir consequentiam, Deum ut avem concipi à vulgo, eò quòd ipsi tribuantur alæ. At rationem Inconsequentiæ non addit. Contrarium autem ad finem articuli hujus 15. dicit, vulgum Divinarum actionum velocitatem concipere per volatum. Si velocitatem Dei actionum per volatum concipit: tum volatum etiam ipsum simul concipit. Si volatum concipit? concipiet illum, vel *abstractè*, sine subjecto; vel *concretè*, cum subjecto. Si abstractè: tum falsum est, quòd vulgus volatum ipsum concipiat: quia tum nihil aliud concipit quam momentaneum motum, seu cogitationis ictum. Ejus exemplar in Angelorum; at quid dico, in Angelorum?

lorum? in ſcintillæ, inquam, igneæ diſparitione habemus. Et taliter quoque vulgus pernicitatem concipit: præſcindendo ſcilicet pernicitatem à volatûs formalitate. Si concretè volatum vulgus concipit: Ergo cum ſubjecto; quod eſt Deus. Ergo vulgus Deum, ut avem, concipit. Atque ita fruſtra illud præmemoratus Autor negat.

XXVI. Porrò: Celeberrimum, pro ſe ibidem adducit Voſſium, qui lib. 1. de Orig. Idololat. p. 52. *Ad Angelicam hanc potentiam*, inquit, *quæ intellectûs ac voluntatis eſt Inſtrumentum, incredibilis etiam velocitas refertur. Atque ob hanc attributæ iis alæ. Ita Cherubim in Exodo cum alis factæ. Jeſaias ait Seraphim ad ſe volaſſe. Daniel etiam & Ezechiel advolantes conſpexère. Hoc Chryſoſtomus, Homiliá* περὶ τῆς ἀκαταλήπτου *fieri* ait, *per* συγκατάβασιν, *q. d. condeſcenſionem; quia deſcribuntur, non quales ſunt naturâ; ſed prout* FACILIUS A SIMPLICIBUS CONCIPIUNTUR. Argumentor paucis. Si propter captum ſimplicium alæ tribuuntur Deo, Angelis, ventis, &c. Sequitur, ſimplices Deum, Angelum ſic concepiſſe alatos. At verum eſt antecedens. Ergo & Conſequens. Utrumque ſibi conſtat: quia, propter quod unumquodque tale eſt, illud magis tale eſt. Atqui propter captum Simplicium Scriptura alas Deo Angelis &c. tribuit. Ergo

eaſ-

easdem Simplices Deo & Angelis magis tribuunt. Clariùs, & ad mentem. Locutio SS. vulgaris vulgi conceptum præsupponit. Absonum.

XXVII. Quod autem, *motus celeritatem summam alarum ministerio optimè fieri*, vulgum putare, asserit; etiam in medio est. Idque forsitan negare de vulgo possum. Quia, motum summum ad cogitationis ictum concipere, est prima mentis & simplex operatio. Hæc in vulgo prima quoque est; in Divinæ autem celeritatis conceptu indubitatò prima est. At hæc sine alis, sine volatu, concipitur: ratio, quia, alarum motum esse successivum, & putat & scit vulgus.

XXVIII. Objicies: Pictores, Angelos alatos, & omne velocissimum animal, in hominis alati formam, Mercurium, item equos alatos, pantheram, &c. pingere. Non verò pingerent, nisi ita conciperent. Resp. Pictores, dum pingunt, fingunt. At, quod Pictores fingunt, non illud vulgus concipit. Do instantiam. Poëtæ Solis cursum, per quadrigarum ab equis flammivomis tractionem, concipiunt. Ergone vulgus ista concipit? Neutiquam: nisi fortè persuasus à Poëtis & deceptus: quia Poëtarum conceptus est ars, ad suum usum accommodata; vulgi vero opinio interdum error magnus inscienter fit. Pictoribus atque Poëtis, quid non absurdi licet concludere:

quæ non paradoxa asserere: quid denique tam impossibile conceptui, quod non cogitare & rationi subigere audeat? Sed Poëmata illi sua esse sciunt falsa; vulgus quoque suam opinionem, & veritatem.

XXIX. Huc refero apparitiones Angelorum, qui Esaiæ, Danieli & Ezechieli alati & volantes visi sunt. Item, Cherubim cum alis factos. Et dico: Angelos apparuisse Sanctis illis, aut secundùm Dei dispensationem: aut secundùm Pictorum consuetudinem: qui spiritualem Angelorum pernicitatem, ex momentanea disparitione compertam, alis exprimere tum solebant. Utrumvis consistere potest.

XXX. Sed quid ego celeritatis jam Divinæ alas explico: Cùm falsum sit, in citatis à Cl. D. Schookio, Psalmorum 7. v. 8. & Ps. 91. v. 4. locis, Divinæ celeritatis alas intelligi? *Itaque*, Clarissimus inquit Wittichius l. c. & *Deo alæ tribuuntur, & volatus ad velocitatem actionum ipsius denotandam, quam vulgus concipere solet per volatum*, &c. Sed Elenchus Phraseos commissus manifestò ab eo est: non enim in Sacris hisce locis Deo tribuuntur alæ celeritatis; sed alæ protectionis. Metaphorâ desumptâ à brutis alatis, quæ pullos suos sub alis suis fovent, atq; adversus Harpyas, expansis alis, protegunt. Qualis locutio de Deo dicitur, Matth. 23. v. 37. Textus quippe Sacri ita

sonant

sonant. Prior quidem, Psal. 17. v. 8. *A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, ut pupillam oculi*: SUB UMBRA ALARUM TUARUM PROTEGE ME, *à facie inimicorum, qui me afflixerunt.* Alter, Psal. 91. v. 4.

XXXI. Dicerem ex abundanti simile quid, ex Psalmi 139. versu 7. Ubi alæ seu pennæ homini tribuuntur *Si sumsero*, inquit David, *pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris*, &c. *Illic tenebit me dextera tua.* Et aliquem sententiam postularem: an ibi homo, ut avis, à vulgo concipiatur. Concipi videtur talis: quia Metaphorica est locutio. Sed concipitur talis: non, quasi revera & naturâ suâ talis esset; sed, quasi esset talis in Intellectûs imaginatione: quæ objecta variè concipit.

PROBLEMA III.

AN Christus, Mare Terrâ altius, ex vulgi sententia, appellaverit, cum Petro diceret: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam?

I. POst Wilhelmum Langium adducit, n. 15. Lipstorpius Cæsareum Mathematicum, D. Johannem Keplerum: qui, in Introductione in Martem, *Sunt*, inquit, *multò plures illorum, qui pietate moventur, quò minus adsentiantur*

Copernico, metuentes, ne Spiritui Sancto in Scripturis loquenti mendacium impingatur, si Terram moveri, Solem stare dixerimus. Illi verò hoc perpendant; cùm oculorum sensu plurima & potissima addiscamus; impossibile nobis esse, ut sermonem nostrum ab hoc oculorum sensu abstrahamus. Itaque plurima quotidie incidunt, ubi cum oculorum sensu loquimur, etsi certò scimus, rem ipsam aliter habere. Exemplum est in illo Virgilii,

Provehimur portu, Terræque urbesque recedunt.

Sic cum ex angustiis vallis alicujus emergimus magnum sese campum nobis aperire dicimus. Sic Christus Petro: Duc in altum: *quasi mare sit altius littoribus. Sic enim apparet oculis, & Optici causas demonstrant hujus fallaciæ. Christus verò sermone utitur receptissimo, qui tamen ex hac oculorum fallacia est ortus.*

II. Resp. 1. Nos & Veritate moveri, & Pietate. *Veritate*: non enim periculum illud duntaxat imminet, quo nos timere Keplerus ait: ne, si Terram moveri, & Solem stare diceremus, mendacium Sancto impingeremus Spiritui. A Veritate nos stare contra falsum, eousque dicemus, donec contrarium, non ostendatur saltem; sed nostris etiam Objectionibus satis, & abunde quidem, factum fuerit. *Pietate.* Quis enim, vel errare cum Deo hallucinante, non ma-

maluerit: ut verbum ejus à nostrarum rationum & imaginationum illuvie sartum atque tectum sit? Malo ego in errore cum DEO esse, quàm in Veritate sine DEO.

III. Pietatem autem hanc, cum egregiis Naturæ luminibus, R. P. M. Paulo Antonio Foscarino, & Illustri Viro, Renato des Cartes, colo. Ille quidem in Epistola Ad Reverendissimum Seb. Fantonem, Ordinis Carmelitani Generalem, paragrapho secundo, ita loquitur: *At*, inquit, (*quod in hisce præcipuè advertendum est*) *si quid divinæ auctoritati, vel Sacris Literis, à Spiritu Sancto dictatis, & ejus inspiratione, à Sacris Ecclesiæ doctoribus explicatis, repugnans inveniatur, tunc non solùm omnis Humana Ratio, sed & ipse sensus abdicandus est; qui, etiamsi potentissimis omnimodisque conditionibus & circumstantiis evinceret contrarium auctoritati Divinæ (quæ quidem adeo sit expressa, ut nullus ad ejus intellectionem tergiversationi locus supersit) rejiciendus tamen esset, statuendumque apud nos, ab eo nos decipi, nec verũ esse id, quod nobis RATIONE vel SENSU tenus APPARET siquidem qualibet aliâ, quovis modo nobis contingat, certior semper est, quæ per Fidem divinàm habetur cognitio, quemadmodum optime D. Petrus confirmavit; qui licet propriis sensibus, Domini Gloriam, in ejus Transfiguratione vidisset & percepisset*

audivissetque verba ejus, Granditatem manifestantia: *nihilominus*, *omnibus his cum Fidei lumine comparatis, subdidit*: *Et habemus firmiorem Propheticum sermonem.* Ubi, in margine lego Observationem. NB. *Fides certior est sensu, & Ratione.* Quæ, quæso, pietas magis se Sancto subjecit Spiritui? Illa certè, quæ, propter Divina ipsius effata, omnes; & Sensus & Rationes suas, ejuravit.


IV. Notabis, LECTOR, etiam, quæ Nobilissimus Cartesius, Princip. Philos. pag. 33. reliquit scripta: *Præter cætera autem, memoriæ nostræ PRO SUMMA REGULA est infigendum, ea, quæ nobis à Deo revelata sunt, ut omnium certissima esse credenda. Et quamvis forte lumen rationis, quàm maximè clarum & evidens, aliud quid nobis suggerere videretur, soli tamen authoritati divinæ potius, quàm proprio nostro judicio fidem esse servandam.* Hæc, rationum studiosissimus, Philosophus. Tuam quoque, LECTOR, hîc expecto Pietatem. Eam, si vel maximè Pythagoræ atque Copernico faveas, imitaberis: quia, tua salvâ Hypothesi, potes.

V. 2. Quæro ex Virgilii & D. Kepleri, loco citato, verbis:

Provehimur portu, terræque urbesque recedunt:

an talis oculorum hallucinatio, in contro-

troverſa hac materia, jure nobis objiciatur? D. Keplerus ulteriorem Rei probationem, hîc loci, præterit. Lipſtorpius Keplerum. Ego utrumque.



VI. Aliud ſeſe offert, quod ibidem loci ex D. Kepleri verbis diſputo. *Sic Chriſtus*, inquit, (dicit) Petro: DUC IN ALTUM: *quaſi Mare ſit altius littoribus.* Verba hæc (*duc in altum*) D. Keplerus ſic explicat; habuiſſe, ſcilicet olim Judæos inveteratam Philoſophorum opinionem: aquam, & ſic Mare, Terrâ eſſe altius. Ideoque, Chriſtum ex ipſorum opinione argumentari: quia ſic putabant, & *ſermone receptiſſimo* dicebant, Mare altius Terrâ eſſe. Sic itaque, Petrum ducere navim in al-

tum hoc, Salvator & Dominus jubet.


VII. Multum hîc dicitur. Lubet σωχεμ-ἴζειν. *Duc*: hoc eſt, proficiſcere, impelle navim(C). *In altum*: ſcilicet, Stagni(A) Genezareth. At, quale ALTUM? Altitudo hæc, vel erit ſuperficialis, vel perpendicularis. *Superficialem* altitudinem intelligo, extrinſecam & planam Aquæ faciem, quæ, ſupra Terram aſcendere, à nonnullis dicitur.

Perpendicularem dico: quæ, ductâ à ſuperficie Aquæ (*A*,) lineâ, ad fundum (*B*,) uſque Continentis (*D*,) perpendiculariter, (E,B), dependet.

VIII. Cæſareus autem Mathematicus, Keplerus, *Altum* hocce Scripturæ, per ſuperficialem altitudinem, explicat. At, manifeſtum hîc ἑρμηνείας Elenchum, oſtendo: 1. quia Dominici mandati ſcopus & finis fuit, eviratum laboribus & nocturnâ piſcatione, Petrum, magnâ & felici piſcium capturâ conſolari, atque exhilarare. Item: docere, ſine Chriſto piſcandum non eſſe; neque id fieri cum fructu poſſe. Jam verò tanta piſcium (quantam Petrus & ſocii ejus concluſerunt) copia, non, niſi in Aquæ altitudine, hoc eſt, in profunditate, quæritur: non, niſi in profunditate invenitur. Quis enim ad littus, ſi præſertim non ſit præceps, tantam, vel minorem etiam, piſcium capturam fecerit?

IX. Con-

IX. Concludo. Ergo Salvator, non superficialem hîc & externam, quæ in globum aſcenderet; ſed perpendicularem & intrinſecam intelligit profunditatem. Eam videlicet, quæ à ſuperficie Aquæ, (*A*,) ad fundum alvei (*B*,) perpendiculariter (*E*, *B*,) ſeſe protendit.



X. Non accipi verò in S. Textu Altitudinem Maris ſeu ſtagni (A), ſenſu Kepleriano, ſuperficialiter, & ex Hypotheſi: quaſi Mare altius ſit littoribus: probo 2. quia Simon Petrus jam antehac in ejuſmodi, & eodem, ALTO erat. Dato enim: (quod mox ventilabitur) plebem Judæam hancce habuiſſe opinionem, quòd Aqua ſit Terrâ altior; tamen haud ſequitur, Salvatorem ibi

ſuperficialem, intellexiſſe Altitudinem, & ſic, cum Judæorum plebe, balbutiſſe. Ratio: quia ſic ex *Alto*, quod ad litora D, fuit, in *Altum* aliud, quod erat Maris in medio C, (aut circiter) proficiſci eum Chriſtus juſſiſſet. Sed, quæ hujus eſt Præcepti ſententia? Tautologia. Exemplum dabo. Si mihi, hic jam Ultrajecti habitanti, perſuadere aliquis Ultrajectinam vellet profectionem. Annon abſurditatem venaretur? A TE verò, Lipſtorpi, nonne exſibilaretur?

XI. 3. Porrò: præſuppoſita hæc, de Aquæ in globum & ſuperficialem altitudinem aſcenſione, Opinio Hebræorum vulgo an recepta, vel, ad minimum cognita fuerit, adhuc ambigo. Difficulter probabitur. Et ne difficulter quidem, ex hocce ſobriè diſcuſſo textu, qui ſonat: ἐπανάγαγε εἰς τὸ βάθος. Tò bathos enim ſuperficialem ſignificare altitudinem, ex Sacris non conſtat.

XII. Contrarium patet, ex Xen. Pæd. 7. Ubi βάθος τοῦ ὕδατος, Aquæ profunditas, dicitur. Clarius: τὸ βάθος, pro imo, penitiori, ſeu loco penitiſſimo, qui introrſùs protenditur. Atque ita; vocem βάθος, cùm de Aqua prædicatur, de convexâ tantùm Aquæ ſuperficie intelligi non poſſe, LECTOR deprehendit.

XIII. 4. Argumentor ex ſequentibus: χαλάσατε τὰ δίκτυα ὑμῶν εἰς ἄγραν. *Laxate*, (*re-*

(*remittite.*) Terræ Marisque inquit Imperator, *retia vestra in capturam*:

Cujus est laxare retia, pro piscium captura: illius est in Aquæ profundum proficisci.

Sufficit. Assumtionem quippe Sanctus habet Euangelista. LECTOR Conclusionem inferet. Declaro. Experientiâ, & ex piscatorum informatione, habemus; quòd illi retia in profundo potiùs, quàm propè litora jaciant. Taceo, quòd tam copiosa natatilium captura, quæ duas impleat naves, ad litora fieri (linguâ hominis loquor) nequaquam possit. Si tamen ad JESU imperium facta, capta, esse dicetur; attamen locum tantæ capturæ nequaquam præbuit.

XIV. Similis extat locutio in Jobo, cap. 9. v. 8. *Qui calcat* (ambulat super) *excelsa maris.* Quam Chaldæus hocce transfert modo: *qui deambulat super altitudinem* FORTITUDINIS *maris.* Quæ, quæso, Maris est Fortitudo? Num convexa superficies? Neutiquam. Nulla est ratio. Tremendæ Majestatis vestigia, in ipso Maris abysso, DEUS ponit: ut dextram ejus ubique magnificam, & semper esse omnipotentem, Tu, ipsius Magnalium Spectator, Homo, confiteare.

XV. Quid igitur prohibet, quominus, contra D. Kepleri sententiam, concludam?

Nihil. Ergo 1. Petrus, super profundum, juxta Figuræ delineationem, proficisci, & non in convexam Aquæ altitudinem ascendere, à Præceptore jussus est. Ergo 2. hîc nihil ad captum, nihil ad Vulgi opinionem, Christus elocutus est.

* * * * *

XVI. Ex eodem Kepleri, in Martem, loco quæro: An Ortum siderum & Occasum, seu adscensum & descensum fingamus: cùm, ea oriri vel occidere, dicimus? Hæc sunt Kepleri l. c. verba: Sic *Ortum & Occasum siderum, hoc est, adscensum & descensum fingimus: cum eodem tempore Solem alii dicant descendere, quo nos dicimus illum ascendere.* Resp. Fingere nos Ortum Siderum & Occasum, ait Keplerus. Sed ait. Primû ejus, quod, Vir aliàs insignis, præsupposuit, falsum est: quòd putaverit, nos ortum Solis, Lunæ & aliorum siderum, ut & ipsorum occasum concipere aliter non posse; quàm, per tardam aliquam ignavorum ex lectisternio emersionem: seu, per Poëticam ex Oceano elevationem. Et hoc est, quod plurimos Copernicæorum tenet animos, fundamentum. Quam volubile? Datur, mi Domine, tertium. Audi.

XVII. Concipimus siderum Ortum (a) subjectivè: quasi ipsa orirentur ex & in se. Quod falsum est: quia ex unâ Circuli sui vicinia in aliam duntaxat moventur. Et, sic

in

in se spectata, motum habent continuum: & neque oriri, nec occidere possunt. (β.) Oriuntur sidera, poëticè: cùm ex Oceano, tanquam nocturno cubili, emergere & eodem immergi à Poëtis dicuntur. (γ.) Objectivè: quando Nobis Nostroque oriuntur Horizonti. Ecce tibi, quod scire nolebas, tertium.

XVIII. E. g. Quando Venus, seu Orion, occidunt, vel oriuntur: fingimusne, sidera illa occidere Nobis? Intuere Orionem occidentem, quando ad Cingulum usque descendit; adeo, ut non, nisi stellæ aliquot, visum adhuc nostrum morentur. Quis eum in Aquis dimidium? quis Oceano se immergere, dixerit? Nonne vulgus, eum sub Terram moveri, communiter ait? Non itaque stellarum Ortum & Occasum fingimus. Vere dicimus: verè enim, & reipsâ fit. Verè NOBIS oriuntur: verè NOBIS, & reverà, occidunt. Cùm igitur dicimus: Venus oritur: Orion occidit: alterum, nobis accedere; alterum, à nobis recedere, per *Occasûs* atque *Ortus* voces, dicimus. Verè autem NOBIS accedunt; verè quoque recedunt. Ergo, quando, verè NOBIS oriri & verè occidere sidera, dicimus; non, eadem oriri & occidere, fingimus. Nihil & hîc, contra Ptolemaicos, D. Keplerus profecit.

PRO

PROBLEMA IV.

UTrum Famosa hæc, de Telluris Motu, Controversia, Augustini temporibus, fuerit nota?

I. CErtius dici nihil poteſt. Tantus enim Philoſophus Pythagoricam non legiſſet, & cum Ptolemaica non contuliſſet, ſententiam? Minora detrivit, qui majora expolivit. Sed, an venerandum ipſius ſeculum incendio hocce, atque Pythagoræorum cum Ptolemaicis diſcidiis, infeſtatum fuerit, quæritur. Dedit Quæſtioni materiam Cl. Lipſtorpius, l. c. num. 17. verba ejus hæc ſunt: *Idem Augustinus hanc ipſam quæſtionem, ſuo ævo à nonnullis Fratribus motam indeciſam reliquit, c. 10. lib. 2. de Gen. ad lit. exiſtimans, plus otii requiri ad illam determinandam, multumque ſubtilibus & laborioſis rationibus neceſſarium fore, ut verè percipiatur, utrum ita, an non ita ſit, utrum terra moveatur, nec ne.*

II. Dubitari autem de eo prius debebat. Non obſtante enim, quòd iſta Philoſophorum lis eidem cognita fuerit; tamen ſuam hac in re nullibi declaravit ſententiam. Ortæ, ipſius tempore, fuerant aliæ plures quæſtiones: quas ipſe, vel declinat: partim dubitat, atque in medio relinquit: partim omninò à ſe removet: alicubi etiam reprehendit.

III. Rem

III. Rem in pauca conferam. 1. Orta fuerat, de Cœli figurâ, inter philosophantes quæstio. Ad hanc, lib. 2. de Gen. cap. 9. Edit. Parisiensis, Anno M. D. LXXXVI. Respondet: *Quæri etiam*, inquit, *solet, quæ forma & figura cœli esse credenda sit secundum scripturas nostras? Multi enim multum disputant de iis rebus, quas majore prudentiâ nostri Autores omiserunt, ad beatam vitam non profuturas discentibus, & occupantes, quod pejus est malum, pretiosa, & rebus salubribus impendenda temporum spatia. Quid enim ad me pertinet, utrum cœlum, sicut sphæra, undique concludat terram in mediâ mundi mole libratam, an eam ex unâ parte desuper velut discus operiat?* Hæc Venerandus Præsul. Quæruntur autem: (α.) an Cœlum sit rotundum? (β) An verò sit hæmisphæricum, instar disci? (γ.) An Terra sit in mediâ Mundi mole, instar centri, librata, quam Cœlum undiquaque ambiat? Sed quæstionum Proponentes graviter reprehendit: & ipsas quæstiones, non assumere tantùm dedignatur: sed eas omninò ex suis proscribit Operibus.

IV. 2. Mota etiam à Fratribus alia erat controversia, Aug. lib. 2. de Gen. cap. 10. ad Lit. Non autem, uti existimat Lipstorpius, famosa ista: num Terra, vel Sol, moveatur: hujus enim quæstionis ibi nullum observatur vestigium; sed, de Cœli Motu:

An,

An, ſcilicet, *Cælum, ſeu firmamentum, ſtet, vel moveatur?* Hanc, loco cit. lego; non illam. *Nam, inquiunt* (verba ſunt Auguſtini) *ſi moveatur, quomodo firmamentum eſt? Si autem ſtat, quomodo ſydera, quæ in illo fixa creduntur, ab Oriente uſque ad Occidentem circumeunt?*

V. Excuſat quidem Hypponenſis Antiſtes atque declinat quæſtionem; ſed tamen ad eam ibidem reſpondet: *Nec nomen*, inquit, *Firmamenti cogere, ut ſtare putemus. Firmamentum enim non propter ſtationem, ſed propter firmitatem, aut propter intransgreſsibilem terminum ſuperiorum & inferiorum Aquarum, intelligere licet. Nec, ſi veritas cœlum ſtare perſuaſerit, impediri nos circuitu ſyderum, ne hoc intelligere poſsimus.* Nulla hîc, ut video, famoſæ hujus ſeculi Controverſiæ ſit mentio.

VI. Singulariter verò Lipſtorpio ad nonnullas, Cap. cit. num. 17. incluſas, Hypotheſes reſpondendum eſt. Et primò quidem dicit: eſſe *in Diſputationibus naturalium problematum, non ab autoritate locorum S. Scripturæ ſumendum initium, ſed ab experientiis ſenſatis, & à demonſtrationibus neceſsariis.* Reſp. 1. Negat hoc apertè Foſcarinus, uti ſuprà, Probl. III. n. 3. oſtendi. 2. Imò maximè quædam naturalia Sanctâ nituntur autoritate, uti ſunt Aquæ ſupra cœleſtes. In quarum contem-

templatione sensus, Experientia & Ratio, ne claudicare quidem, si maximè vellent, possunt. Simpliciter igitur ista dicenda non erant.

VII. 2. *Nefas*, inquit, *sit, omnem rationis discursum, nobis à divina bonitate concessum, adeo præcidere, & ita S. literarum authoritate abuti, ut manifesta experimenta, & necessarias demonstrationes oppugnare audeamus.* Resp. 2. Rationis discursus in genere eximium DEI donum est. Hunc præcidere nefas. Sed (α.) rationis discursum in famosa hacce materia formaliter præcidere, nefas non est. Hypothesis enim: quæstio πειραστικὴ adhuc: incerta assertio, est. Ideoque (β.) Sacris in eadem neutiquam abutimur literis, quando in ejusdem confirmationem eas, tanquam testimonium legitimum, quo Rerum Conditor de suis testatur Rebus, adducimus. Aliud quippe est Scriptura, Judex: aliud Scriptura, Testis. Illud nunquam admittam; istud, lubentissimè, (γ.) Geometricas demonstrationes simpliciter esse necessarias, nullus concedet: quia physicarum privilegium hocce rerum est. Res Geometricæ & Astronomicæ sunt necessariæ quidem; sed ex Hypothesi: quatenus lineâ & calculo demonstrantur. Sint, uti sunt, necessariæ. Tamdiu tamen, quamdiu intra suos sese continent circusos & mensuram. Et quæ hæc rerum Astro-

Astronomicarum necessitas est, de quâ, in tam turbulento & mordaci pulvere, decernitur? Res igitur physicæ, simpliciter; Geometricæ verò, restrictè necessariæ sunt.

VIII. 3. Quod Augustinus, lib. 2. de Gen. cap. 9. de Cœli figura agens, dicit: *Spiritum Dei, qui per ipsos Authores loquebatur, noluisse ista docere homines, nulli ad salutem profutura.* Resp. Spiritum DEI multa homines docuisse: etiam, quæ præter salutis sunt fructum: ut, physicam Cœli, Terræ, Animalium descriptionem: Aquas supra Cœlos, Gen. 1. Nubium & pluviæ ductus, Zach. 10. 1. Fluminum meationes, in marenes, & remeationes, Eccles. 1. v. 7.

IX. 4. Locus ejusdem Venerabilis Antistitis, lib. 2. cap. 18. ad lit. in Gen. qui à M. Lipstorpio excerptus est, pag. 157. Ptolemaicis valde velificat. *Tamdiu*, inquit Pater, *non est extra fidem, donec veritate certissimà refellatur. Quod si factum fuerit: non hoc habebat divina Scriptura, sed hoc senserat humana ignorantia.* Etenim, quam Ptolemaici hactenus asseruerunt, Hypothesin & Divina habet Scripturâ, & ratio sentit. Quàm verò Copernicæi defendunt: ratio solummodò eam æstimat; Sanctus verò Spiritus eam non habet.

X. 5. Denique: ex Hieronymo, hancce sententiam fuisse Ecclesiæ seniori non omnino adversam, probatur. Nimirum: Scripto-

ptores Sacros, in rebus ad salutem æternam non facientibus, propter communiter illis temporibus receptam opinionem, magis ad usum receptum, quàm ad veram rerum sententiam, accessisse. *Quasi*, inquit Hieronymus, in Caput 28. Jeremiæ, *non multa in Scripturis S. dicantur juxta opinionem illius temporis, quo gesta referunt, & non juxta quod rei veritas continebat.* Resp. Quid hæc ad rhombum? Conceditur Patri Hieronymo: non negatur M. Lipstorpio, Observatio. Sed in genere sumpta In specie ad nostram nihil facit Controversiam. Neque huc Pater quicquam facit. Ita enim verba ejus, l.c. lit. E. ¶. lego: Et tulit Ananias. *Duos annos, non transtulerunt LXX. prophetam quoque non dixere Ananiam, ne scilicet prophetam viderentur dicere, qui propheta non erat*: quasi *non multa in Scripturis S. dicantur juxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, & non juxta quod rei veritas continebat.* Quid, inquam, hæc ad Rem?

* * * * *

XI. Ad locum, Josuæ 10. quod attinet: durum esse agnoscit nodum. Respondet autem v. 1. ex Epistola Foscarini ad Seb. Fantonem: *sæpè vulgariter & rectè dici: agens quodpiam moveri (licet immotum stet,) non quia revera ipsum moveatur, sed per denominationem extrinsecam, quia ad* mo-

motum subjecti, ejus influxum & actionem recipientis, movetur etiam forma & qualitas, quæ in illud subjectum inducitur ab agente. Aſt, SÆPE tantùm iſta fiunt. SÆPE etiam & vulgariter fieri, rectè dicuntur. Evincendum autem hîc, τò SEMPER, erat. A nemine id hactenus, tentatum eſt: quia impoſſibile. Ergo ex particulari concluditur. Non concluditur. Ad Nodum.

XII. Difficilem aliis, Clariſſime Vir, hunce, Joſuæ 10. cap. videri locum poſſe, n. 21. fateris. Cur *videri* tantùm difficilem? cur *poſſe* duntaxat? Cur, quæſo, difficilis *aliis*, & non TIBI ſimul? Quia Tu mirùm Te ipſummet in modum etiam torques? Caſſibus propriis certè Te implicaſti. Videamus.

Nodus Sacri, & jam citati, loci in eo conſiſtit, quòd ad utrumque Cœli Luminare dictum ſit: NE MOVEARIS. Utrumque etiam ad Hominis imperium, quieviſſe & ſtetiſſe, dicatur. Rectè. Inveniſti Nodum. Solve. Sed *Solve*, inquam; non gladio incide. Non Alexander es.

XIII. *Sed*, inquis, pag. 159. *Obſervo hîc & ſolvo hunc nodum dicendo, non obſtare, quòd Luna poſſideat adhuc proprium, verum & periodicum motum, menſtruum videlicet. Hic enim minimè hoc loco conſideratur. Nam Joſuæ unicè propoſitum erat, diem*

diem producere, quem nobis efficit Solis motus (apparens) diurnus; hic autem neque Soli, neque Lunæ verè & realiter competit; sed tantùm juxta apparentiam. Hæc Nodi est solutio.

XIV. Nodi hujus, inquam, solutio verbalis est; & non realis. *Dicendo*, solvitur: non solvitur. Non obstare dicis, Menstruum Lunæ Motum realiter; Soli verò apparenter competere? Ratio ista illibatam Veritatis virginitatẽ conspurcat: *hic enim minimè hoc loco consideratur.* Resp. 1. Falsũ hoc est: fit enim hîc Lunæ motûs expressè mentio: *Luna ne movearis*, Quô autem Luna alio movetur, quàm *proprio, vero, periodico, & menstruo* motu? Nullo alio. Neque ludendum est in voce, *consideratur*: hic namque Lunæ motûs Theoria non proponitur: motus tamen ejus nominatur, innuitur. 3. Præsupponitur: Josuæ fuisse propositum, Diem producere, seu prolongare. Resp. Rectè. Cogitavit Josua Diem, & optavit. Sed, siccine eum à causa Efficiente præscidit: ut non, eum à Sole per realem ipsius motum fieri, censeret? Omnibus etiam hoc numeris falsum est. Apparentemne Solis, verum autem Lunæ, intellexit motum? Neutiquam: quia de utrisque realem, toto diversis verbis, totiesque, motum pronunciavit.

XV. Aliter D. Keplerus, Introduct. in

Martem, sentit: *hoc unicum in votis habuisse Josuam, ne montes ipsi Solem eriperent: quod votum verbis explicuit, sensui oculorum conformibus; cum importunam admodum fuisset, eo tempore de Astronomia, deque visus erroribus cogitare. Si quis enim monuisset, Solem non verè contra vallem Ajalon moveri, sed ad sensum tantùm; annon exclamasset Josua, se petere ut dies ipsi producatur, quàcunque id ratione fiat?*

XVI. Quanquam & D. Keplero hîc responderi possit. Huncce Josuæ metum non fuisse, ne Solem, atque ita & Diem, montes sibi eriperent. Ratio: quia à Gabaon ad usque Asek, Bethoron Makeda, &c. nulli ferè montes fuerunt. Et, si quidam? Colles tantum, distincti, & hinc inde sparsi Montes; non autem continui, neque contigui fuerunt.

XVII. NOTA BENE, LECTOR. Cùm Palæstinæ agros in mappis permeas, in ipso Terræ Sanctæ meditullio vix justæ altitudinis reperias montes: qui Solem abscondere, & diem eripere hominibus possint. Colles (vel Montes appelles, licet.) sparsi solummodò, & hinc inde, exstant. Hi autem, in tam festina & violentâ hostium insecutione eripere Josuæ Diem quî potuerunt? Umbram permutarunt. In ipso, inquam, meditullio: in Tribubus, Benjamin, Ephra

Ephraim, Juda, Palestinos usque : hoc est, inter Jordanem & Mediterraneum Mare. In finibus quippe Tribuum, Simeon, Dan, Isachar, nec non in Seir, qui desertum Idumææ respiciunt, montes, contiguo & continuo fere tractu, adhuc exstant.

XVIII. 2. Votum Josuæ erat, Diem habere. Sed, cur Solem & Lunam stare potiùs, quàm Diem produci, expetiit? Nonne, Diem sibi prolongari, cujus gerebat bella, à Domino petere *simpliciter*, absque Solis vel Lunæ mentione, potuisset? Ipse tamen, tenebras sibi noxias, hostibus autem utiles, metuens, subsistere Lumina jubet : SOL STA : LUNA STA.

XIX. Si autem quispiam Ducem, ut D. Keplerus colligit, monuisset: Solem non verè moveri; sed, ad sensum tantùm. *Annon*, inquit, *exclamasset Josua, se petere ut dies ipsi producatur, quacunque id ratione fiat?* Resp. Gladio forsitan ipsi reposuisset? Existimo sanè: &, non sine ratione. Vis eam audire? Accipe. Ingenium Josuæ, neque Ptolemaicum, neque Pythagoricum erat; sed à S. Spiritu eruditum, incitatum Hoc autem, quam de DEI Operibus simplicem percepit veritatem, eandem simpliciter professus quoque est. Argumentari sanè adhuc potest, ex eo: quòd, quicquid Josua effatus est, à Sancto Spiritu & Sanctis edoctus viris effatus est. Converto.

Quic-

Quicquid Josua de Sole pronuntiavit: illud à Sancto habuit Spiritu.

Atqui Josua de Sole motum pronuntiavit.

Ergo motum illum à Sancto habuit Spiritu. Consequitur.

Majoris connexio claret, ex verbis: *Tunc locutus est Jehosua DOMINO.* Item: CORAM DOMINO. Coram, inquam, Domino, qui Solem & Lunam mensurare tempora eaque distinguere jusserat. Sed, LECTORI CANDIDO, ad Lib. I. Cap. 5. recurrere suprà lubeat.

XX. Patres verò & Concilia, quæ Lipstorpius contra Copernicum decrevisse, l. c. recensuit, non approbo. Sed cum conditione. Si enim *Congregatio illa V. Cardinalium, qui Indici librorum, Anno* cIↃ IↃ c xvi. præpositi sunt, Copernicum, Galilæum & Astunicam damnavit, propter Novi Systematis inventionem & professionem. Malè fecit. Si verò propter contortam S. Scripturæ exegesin; utique piè & Christianâ æquitate contra illos pronunciavit. Et hæc cum Cl. Lipstorpio conferenda erant. Voluit ipse Ptolemaicos unâ & communi responsione triumphare: sacra Scripturæ loca cæcâ eludere apparentiâ. Sed ecce, ne apparenter quidem, ipse rem tetigit, defendit. Sic non vincuntur hostes.

PRO-

PROBLEMA V.

AN Spiritus S. in iis rebus, de quibus vulgus per sensus nihil cognovit, adeoque nihil judicat, loquatur aliquando ex Rei Veritate?

I. Problematicæ huic Propositioni, ejusdemque ventilationi, ansam præbuit Cl. D. Wittichius, Differt. I. cap. 1. art. 10. *In iis*, inquit, *rebus de quibus vulgus per sensus nihil cognovit, adeoque nihil judicat, loqui (*) aliquando ex rei veritate, ut quando Ecclesiastes cap. 1. de fluminum ortu loquitur.*

II. Antequam autem in propositum inquiramus Problema, quærendus rationem erit D. Wittichius: Vocis scilicet asterisco signatæ, ALIQUANDO. Cur enim Spiritus S. de vulgo ignotis rebus *aliquando* tantùm ex veritate loquatur? Cur non semper? Si verò de vulgo ignotis Spiritus S. ex veritate, *aliquando* saltem, loquitur. Ergo *aliquando* non ex veritate: Ergo falsa *aliquando* loquitur. At, quis tandem iste erit Spiritus? Vides Vir Doctissime, quò lasciviens TE non ducat Ancilla? In tenebras impurissimas. Taliter nimirum philosophari illos decet, qui, præconceptam ad furorem usq; deperientes, Hypothesin, omnino omni, atq; adeo & supra rationem, veneratione dignissimis, contra dicunt literis.

III. In iis ergo rebus, de quibus vulgus nihil quicquam præjudicavit, Sanctum non balbutire Spiritum, apparet. Adduxit D. Wittichius unum Ecclesiastis locum, cap. 1. ubi SS. de fluminum ortu secundùm rei loquitur Veritatem. Nec plura adduxit: quia ALIQUANDO. Cui voci, *Aliquando*, opponere τὸ SEMPER, operæ esse pretium duxi. Dico itaque: In iis rebus, de quibus vulgus per sensus nihil cognovit, adeòque nihil judicat, ex rei SEMPER loqui veritate. Ostendo. 1. Ecclesiastis cap. citato v. 7. de fluminum ortu & refluxu. Quæ verba dum lego, contrarium ex iis deprehendo & concludo: vulgum, scilicet, per sensum nunquam cognovisse; nec adhuc cognoscere, quòd flumina ex mari suum ducant ortum. Item: verè & secundum rei naturam SS. dicit, ventum Terræ orbem circumire, per polum Antarcticum, qui nobis Meridies est, ad usque polum nostrum Arcticum, Aquilonem. At quis ex vulgo ista concepit? Ergo verè hic etiam SS. loquitur. 41. Item Job. 41. v. 1. 6. 7. 8. 17. 18. 19. 20. Sanctus loquitur Spiritus de difficili Leviathan captura, & Victoria. Per Leviathan autem intelligitur, vel Balæna, secundùm Lansbergium; vel monstrum aliquod marinum, horrendum, informe, ingens, insuperabile. Utrumvis eligas. Balænæ, vel aliæ quævis maris belluæ, sunt

corpora naturalia, animata. Quid verò de iis vulgus unquam concepit, vel possibiliter concipere potuit? Et tamen Veritas verè hic de animalibus istis, & secundùm earum naturam, loquitur.

IV. 3. Porrò Sp. S. de Jacobo, Gen. 30. v. 37. 38. 39. 40. 41. dicit: eum, tempore quo adaquabantur greges, virgam variegatam, hinc & inde decorticatam, in canalibus, arietum & ovium opposuisse oculis: ut in ipso coïtûs calore, virgam diversicolorem intuerentur, & ex eo maculosum conciperent fœtum, & parerent. Quæ igitur hîc de Jacobi facto Sanctus dicit Spiritus, concipine hæc à vulgo possunt naturalia, tam occulta, tam captu difficilia? Neutiquam. Objectum movet phantasiam: phantasia, sensum: sensus, formam operantem. Ista autem vulgus ex se non concipit; sed per experientiam discit. Multa sunt & fiunt in vulgo; quæ vulgus ne concipere quidem potest.

V. 4. Similiter credibile non est, Jacobum facinus hocce ex se ipso confinxisset? Corporum naturalium cognoscere sympathias, est Naturæ mysteria atque arcana scire. Vulgus de istis ne somniare quidem audet. Jacobus ipso etiam præstitit facto. Eruditè ab eruditis educatus erat Parentibus: Patriarchis.

VI. 5. Neq; fas erit, Jacobum Sym-Patriar-

cham inepti vulgi conſpurcare colluvie, e. juſque accenſere eum numero. Scientiæ enim naturalis peritiſſimus, quod facto probavit, erat. A quo eandem edoctus? A Deo: qui benedicere eum hoc modo: qui exantlati laboris præmium ei hoc modo adaugere, qui ejus pietatem ditare hoc modo volebat. A Parentibus etiam, Patriarchis, ut dictum jam eſt.

VII. 6. Quæ igitur S Spir. Patriarcham docuerat, naturalia Moſi hîc loquitur, ſcriptoque ea mandari curat. Aſt, aſcenduntne hæc, & ſimilia naturalia, in Vulgi mentem, vel hodie etiam? Nos multa hodie didicimus, multa communiter ſcimus, quæ tamen, edocti etiam, capere nondum poſſumus. Argumentare jam, LECTOR, à Majori ad minus ſicuti decet: & impoſſibilitas vulgaris conceptus ſpontè prodibit. Vulgo igitur ignota; vera tamen: & verè Spiritus S. eloquitur, hîc etiam, naturalia.

VIII. Sed quid ego centones hîc congero. Adeat; aut, poſtquam Lector S. Scripturæ libros adiit: præcipuè verò Geneſin, Leviticum, Proverbia, Eccleſiaſten, Canticorum Canticum, Danielem, &c. Hos, inquam, legens expendat: an non ibi naturalia, à vulgo *ex ſe* non præconcepta, nec in æternum præconcipienda, Sanctus Spiritus, ſecundùm rei veritatem, SEMPER elo-

eloquatur. Colligat, redigat eadem in ordinem, (quo mihi frui jam non licet otio) & meæ assertionis veritatem deprehendet.

Interea D. Wittichio suum ALIQUANDO, probandum, relinquo.

PROBLEMA VI.

AN Spiritus S. in Scripturâ loquens, vulgo sese propterea accommodet, quia præjudicia quædam de rebus naturalibus per sensus hausit? Æquipollens huic quæstio est: *Utrum Spiritus S. in iis tantùm rebus balbutiat, de quibus vulgus ex sensu præjudicavit?* Resp. Utrumque nego.

I. ET huic Problemati occasio est memoratus suprà Autor, eodem loco, pag. 5. *Notandum*, inquit, *etiam est, tùm demum Scripturam sive Spiritum Sanctum in Scriptura loquentem se accommodare vulgo, quando præjudicia quædam de rebus naturalibus per sensus hausit.*

II. Dubium hic subest: utrum Autor universaliter ista intellecta atque sumta voluerit. Id tamen ex vocibus, *tùm demum*, facilè assequimur: quoties nempe vulgus de naturalibus rebus præjudicia per sensus hausit, toties S.S. vulgo sese accommodat.

III. Dubito, an ea sit Autoris sententia, quòd Spiritus S. nuspiam in Sacris vulgo

ſeſe accommodaverit, niſi in naturalibus. Sequeretur enim hæc inde falſitas: Spiritum S. etiam in myſteriis, homini non condeſcendiſſe.

IV. Quicquid ſit, utrumque ei nego. Reſponſionem, ad utrumque ſibi æquipollens dubium, dabo. Reſpondeo igitur, falſum eſſe: Spiritum S. tum demum vulgo condeſcendere; quando in naturalibus aliquid præjudicavit. Ratio 1. quia (*NB.*) nuſpiam in Sacris, Deum condeſcendiſſe homini in ipſa RE naturali, ſed in REI MODO, legitur. Contrarium D. Wittichius ſi probaverit, parmam ſpontè ponam. 2. Quia Divina illa balbuties fit in lingua filiorum hominum: quæ facilis & cognita communiter eſt. Balbutivit ergo Spiritus S. in modo proponendi Rem; non autem in RE ipſa. Docuit hominem Deus opera ſua; ſed in rei veritate: loqui enim ad alicujus captum rem, ut eam intelligat; rei tamen ipſius veritatem celare ipſum velle, ſponte ineptire: rudiori imponere: cum ratione inſanire, eſt. Locutus Homini eſt Deus, linguâ & ſtilo humano. Quâ de cauſa? Ut melius id, quod ipſum docuit, perciperet, intelligeret, ſciret. 3. Quia, ubicunque Deus argumentum ad Hominem habet, verba, captum: res argumenti, veritatem, oſtendunt. 4. Falſum illud Primum eſt: quia Deus naturali lumini, in natura-

lium

lium rerum cognitione, non contradicit. opinionis dicam: Veritatem non dissimulat, non occultat.

V. Lingua sanè hominum communis quid est aliud, quàm verba hominum; quàm phrases & usitatæ loquendi formulæ hominum? Quas Spiritus non ad rei de qua loquitur occultationem; sed ad Rei, de qua loquitur, declarationem, assumit. Demirari satis hic superque non possum D. Wittichii spiritum, qui, ex solitâ Spiritui S. contradicendi, ejusque Oracula ad Hypothesin suam retorquendi libidine, quid non tandem de Deo statuit? qualem tandem Deum nobis non facit? Frontem certè hanc capere & demirari neutiquam possum. Et Theologiæ quidem Doctoris! qui suas in verbo Dei crucifigere, & vel ejurare, debuerat rationes? Piaculum. Sed, quia in suis mirificè sibi placet rationibus, agedum.

VI. Ita autem, Diss. I. cap. 1. art. 8. disserit. *Interim*, inquit, *non vult Spiritus S. in Scriptura nudam veritatem circa res naturales, quas optimè cognitas habet, manifestare, sed eam in medio relinquit, permittens interea literatis hominibus, ut locutiones tales conferant cum Philosophia, & inde num accuratæ sint, num vulgares discant.*

VII. Falsissimum esse, quòd Spiritus S. simpliciter manifestare in Scriptura rerum naturalium veritatem nolit, sequentibus probo:

Quicunque nos ſua verè docet Opera, ille rerum naturalium aliquarum nudam manifeſtare veritatem vult.

Atqui Spiritus Sanct. ſua nos verè docet Opera.

Ergo Spiritus Sanctus aliquarum rerum naturalium nudam manifeſtare vult veritatem. 2.

VIII. Quod argumentum, ut ſibi tutò conſtet, exceptionibus circumvallabo. 1. Fundamentum contradictionis & cauſa eſt: quòd D. Wittichius præſupponat, Sp. S. noluiſſe omnino aliquarum rerum naturalium nobis veritatem manifeſtaſſe. In genere iſtud dictum & ſcriptum eſt. Voces, *omnino*, & *aliquarum*, ex ſimplici & nuda ipſius aſſertione fluunt. Nihil ergo in falſiſſima iſta excipere aſſertione, nuſpiam quoque reſtringere eandem poterit. Falſiſſimum, autem D. Wittichii eſſe præſuppoſitum, non jam Scriptura, non ratio ſaltem; ſed Autor ipſe, Diſſert. I. cap. 1. art. 10. ſui oblitus, oſtendit. Ubi docet: Spiritum S. in rebus naturalibus, de quibus vulgus nihil per ſenſus cognovit, loqui aliquando ex rei veritate. Sufficit. Argumentor:

Quicunque de rebus naturalibus aliquando ex rei loquitur Veritate, ille nudam quoque rerum naturalium veritatem quandoque manifeſtat.

(NB.) Loqui ex rei veritate, & docere rei veri-

veritatem; sine ulla exceptione sibi sunt æquipollentia, & sese mutuò convertentia. Assume, LECTOR. Conclude Autori.

IX. 2. Excipio, me non statuere: quòd Spiritus S. *omnium* nobis rerum naturalium veritatem manifestaverit; sed *aliquarum*. Autor verò simpliciter negat. Quàm verè? patuit. Mox elucidabitur. Ne autem restrictione vocis, CIRCA, elabi possit, præoccupo: eam (α.) sumi (in specie hîc loci) subjectivè & materialiter: & explicatur per particulam, DE: v. g. loqui de rebus naturalibus. (β.) Formaliter, & ex accidente, pro objecto vago. v. g. versari circa rem; id est, circa rei accidentia, circumstantias, hæc & illa adjuncta, &c. Taliter autem hîc τὸ CIRCA neutiquam sumitur: aliàs contradici ei non posset.

X. 3. Vox, *nudam* (veritatem) æquivoca nimis est. Sumitur quippe, vel *materialiter*, pro veritate in genere, seu verâ assertione: vel *formaliter*, pro formali, naturalem veritatem demonstrandi, modo. Posterius, concedi posse, videtur. Adhuc tamen & in istud est inquirendum, quod à me infrà præstabitur. Prius neutiquam, & nullo ei concedetur jure.

XI. Hisce præexceptis, quæro: Unde D. Wittichio constabit; nolle nobis Sanctum Spiritum in Scriptura res manifestare naturales? Magnum, atque audax nimis

est facinus, de DEI voluntate, sine SS. autoritate, concludere. Dicet: quia non manifestavit? At 1. Nonne fluxum fluminum ex mari & refluxum docuit nos, idque physicè & secundùm rei naturalis veritatem, Ecclesiasti 1. v. 7. Si unum docuit: cur non cætera? Plura adducam. Motûs Solis & Lunæ distinctionem, coordinationem, vicissitudines, passiones, &c. unde primùm habemus? A Pythagorane, Ptolemæo, Aristotele, vel aliis ante eum? Neutiquam; sed à Sp.S. Gen. 1. v. 14. 15. Quis 3. Tubal-Cainum, metalla fundere, cudere, ex iisque varia construere utensilia, in ipso Mundi docuit exordio? Lege, quæso, LECTOR, quæ Gen. 4. v. 22. scripta sunt: *Tzilla quoque peperit Thubal-Kainum, qui erudivit omnem fabrum ærarium & ferrarium.* Non dicas, quòd ab Adamo derivata hæc fuerit scientia: quia absque fundamento, & dixeris tantùm. Ego, Thubal-Kainum artis Metallicæ inventorem & fabrilis fuisse, probo: quia, sicuti Jubal fuit Pater cithara & organo psallentiū: ita Thubal-Kain fuit artis metallicæ & fabrilis Pater. Unde 4. Salomoni tanta rerum naturalium fuit scientia, ut loqueretur de Homine, Brutis, Plantis, &c.? A Spir.S. qui petenti eam pollicitus erat, 1. Reg. 3. v. 12. Unde 5. Danieli & sociis ejus notitia & intelligentia in omnibus literis & sapientia? Dedit

eam

eam ipsis Deus, Dan.1.v.17. Dices: mediatè, quia instituti à Chaldæis pueri erant? Resp. Falsum hoc: quia, antequam captivi in Babyloniam à Nebucadnetzare deportarentur, jam omnis intelligentes erant sapientiæ. Et, (*NB.*) Deus multa, naturalia etiam, Danieli, Josepho, Jacobo Patriarchæ, Mosi, &c. revelavit. Evidentissimè hoc in textibus S. exstat, & ostenditur.

XII. Concludo itaque: Spiritum S. & voluisse & manifestasse aliquando ipsam rerum aliquarum naturalium veritatem. Non certè nos Deus, ad magna sua opera contemplanda monstrando solummodo ea (ad instar stupidi & bruti hominis, sidera digito, tanquam monstra quædam, monstrantis; eadem autem ne nominantis quidem); sed, partim nos in iis particulariter erudiendo: partim, ad eadem contemplanda exhortando. Demonstratum est. Pergo.

PROBLEMA VII.

Utrum Spiritus S. in naturalibus cum Vulgo loquatur; sentiat autem cum Eruditis?

I. PRoblematis Antecedens Copernicæi si evincerent: sequeretur, Spiritum S. juxta ipsorum sensisse Hypothesin. Quod evincere durum valde, ut video, ne dicam, impossibile, iis erit. Cæteroquin & isthæc Quæstio ex

D. Wittichii, Differt. I. cap. 1. art. 8. derivatur. *Loquitur*, inquit, *Deus cum vulgo, sed non cum eo sentit, & ita sponte facit, quod hominibus faciendum esse Logica præscribit, quemadmodum est in Proverbio: loquendum cum multis, sed sentiendum cum doctis & sapientibus.*

II. Expende, LECTOR, omnia, & benè judicabis: Distingue: & benè docebis Nota hîc benè. 1. Vocem, *vulgus.* Sumitur autem vulgus vel (α.) strictè, pro inerte hominum & rudi plebe. (β.) Restrictè: vulgum scilicet restringendo ad Eruditos. Dicitur quippe, Eruditorum vulgus, pro communi alicujus sententiæ affirmatione; vel negatione. (γ.) Latissimè, pro vulgo in genere: quando sese Eruditi ad vulgum indifferenter habent. Non tertiâ, nec secundâ; sed primâ significatione sumi à D. Wittichio & Copernicæis vulgus, vel inde patet: quòd rudes, crassos, terrenos, inertes, ineptos homines vulgum in communi appellent: cum exclusione Magorum, Sapientum, atque Eruditorum.

III. Nota 2. ℣ LOQUITUR. Loquela DEI consideranda est: vel (α.) *in se, seu subjectivè.* Et hæc loquela ipsa, veritas ipsa, scientia ipsa; DEI est Sapientia. Taliter Deus nunquam locutus cum vulgo est. (β.) *Objectivè*, & in respectu ad vulgum. Et tum est argumentum ad Hominem: lin-

gua

guæ filiorum Hominum : locutionis modus, seu formula : phrasis hominum, nuda, & ipsa tantùm vulgi locutio. Taliter DEUM in S. Scripturis esse multoties locutum, quis inficiatum ibit ? Rei veritatem DEUS ut simplicioribus etiam manifestaret, ad ipsorum clementissimè condescendit loquendi modum, Tropicum : Metaphoricum, Metonymicum, Ironicum, Synecdochicum, &c.

Sed non de vulgi lingua, materialiter, controvertitur: nam quævis lingua habet suas Dialectos. Emphrases, &c.

De lingua, formaliter: id est, linguæ sensu disquiritur. Ascendendum hîc è vulgo erit.

LVI. 3. Nota, vocem, SENTIRE. Quæ unanimi redditur consensu, per τὸ intelligere, credere, opinari. Ut ita vulgi sensus, intelligentia, opinio, & fides sit. Jam molis hic magnæ erit, probare: quòd Spiritus S. quod cum vulgo loquitur, non *idem* cum ipso sentiat. Si, inter τὸ sentire idem, & τὸ sentire *eodem modo*, distinxero: nescio, quo pacto suam D. Wittichius asseruerit Hypothesin? Rationibus hic certè erit, atque demonstratione, agendum.

V. 4. Maximè verò observa vocem, ERUDITI: quàm suspecta maximè & dolosa sit. Rem in labyrintho deprehendes. *Eruditus*, sumitur (α.) vel pro quovis, ingenere & indifferenter, in quâcunque disci-

plinarum Facultate docto homine, Philosopho. Tales in V. T. erant Chaldæi, Ægyptii, Dan. 2. v. 2. 11. 12. 14. 18. 24. Homine Theologo, Psal. 119. v. 99. 100. Dan. 12. vers. 3. Jurisperito, Esa. 3. v. 2. 3. &c. (β) Strictiùs & specialiùs, pro homine in certâ saltem Disciplina erudito: Mathematico, Physico, Politico, &c: (γ.) Strictissimè & singulariter; pro certo & determinatô Eruditionis subjecto. Tales autem erant Eruditi, Adam, Patriarchæ, Moyses, Salomon, Daniel, & Prophetæ omnes.

V I. Hisce præmissis, quæro: An Spiritus S. cum vulgo (*rudi, inerte & crasso*) loquatur (*ipsi condescendendo*; aliàs, *objectivè*); sentiat verò (*opinetur*) cum Eruditis (*quibuscunque?*) Resp. Simpliciter istud esse falsum, probo. Præsuppono tamen: me non negare loquelam D.E.I. cum homine, seu (dicam ita) condescendentiam, in secundo loquendi modo; sed, aliter eum loqui cum vulgo, aliter sentire cum Eruditis, absolutè nego. Probo.

V I I. Non sentit 1. Spiritus S. cum Eruditis circa naturalia: cum Eruditis, inquam, in genere, primæ significationis: Ratio, quia (α.) Eruditi, in genere & confusè sumti, partim sententiis & opinionibus; partim rationibus discrepant: (β.) Quia Eruditi in naturalibus, non semper scientiam, sæpissimè opiniones, habent. Id autem fit ex de-

mon-

monſtrationum variarum delectu, incertitudine, & rationum defectu. At, quomodo Spiritus ille omnis Veritatis in ſuorum Operum contemplatione tam diſtractis conſentiet animis. Sentiet igitur Spiritus S. cum Eruditorum aliquo; & non cum Eruditis. (γ) Et, dato Problemate; nihil tamen evincetur: quia Eruditi, quas cum vulgo habent, locutiones, non contrariè intelligunt; neque ipſis ſenſu contradicunt; ſed modo tantùm. Quod vulgus communiter; illi ſpecialiter, ſentiunt.

VIII. 2. Cum Eruditis ſecundæ acceptionis, in particulari Spiritus S. ſentire, concedi quidem poteſt; eo tamen modo, quòd Spiritus S. in naturalium veritate cum iis ſentiat, quatenus illi cum ejus, de Operibus Naturæ, teſtimoniis concordant & fidem habent. Sed probandum hîc erit, eundem SS. cum Copernicæis ſentire Eruditis? Contrarium potiùs de Ptolemaicis Philoſophis dicerem. Probandum & hoc erit, quòd in omnium naturalium cognitione Deus cum hiſce ſentiat Eruditis. Quod quia probari nequit: Ergo in aliquibus S. tantùm iis conſentit. Jam Copernicæus, à ſe DEUM ſtare, comprobet. Audiemus. Utinam audiamus! Vanum eſt votum? Non audiemus. Diſquiro.

SS. Patriarchæ (num. 3. in tertia recenſiti ſignificatione) aut fuerunt Vulgus; aut Eruditi. Si

Si Eruditi: quomodo cum illis loqui aliter potuit? Sensit enim cum illis, & locutus naturalia est.

Si vulgus: quomodo Sapientes, quomodo docti, quomodo Variarum Artium Magistri esse poterant? Gen. 4. v. 21. 22. Moses in omni Ægyptiorum eruditus Sapientia, Actor. 6. v. 22. Præcipue namque Moysi locutus Creationis Historiam est. Dices: locutus est DEUS vulgo per Moysen. Resp. Ast, ubi cũ Eruditis sensit? ubi idem, quod illi, opinatus est? Nusquam: nec locorum, nec gentiũ. Ergo falsum Problema est.

IX. 3. Cum tertiæ significationis Eruditis DEUS sensit. Sed Patriarchæ Sancto potiùs, de suis Operibus testificanti, Spiritui assensi sunt; quàm ipse eorum Opinioni; Et, cum Sanctis illis Viris DEUS non sensit tantùm; sed, quæ sensit, locutus etiam est. Urgendum hoc valde est.

X. Hinc itaque claret: in iis, quæ de Operibus naturalibus profert, testimoniis, Spiritum S. 1. *loqui.* 2. *vulgo.* 3. *formulis vulgo receptis.* 4. *opinionem vulgi.* Sed non loqui tantùm; verùm sentire etiam: quia eandem opinionem suam facit. Probatur hoc 1. Quicunque opinionem alterius argumento suo confirmat: ille opinionem alterius suam facit.

2. Quicunque alterius opinionem, demonstrationis loco, usurpat: ille opinionem

nem illam approbat, & suam facit.

Item. 3. Quicunque alterius opinionem corrigit, & illustrat magis: ille opinionem alterius suam facit. Subsume de Spiritu S. cum vulgi Opinione.

XI. Ut verò Minor sibi constet, loca Josuæ 10. v. 12. 13. 14. Esa. 38. v. 8. Eccles. 1, v. 6. 7. Ubi mundi transitio & Vanitas, argumento desumto à rerum naturalium vicissitudinibus & revolutionibus, demonstratur. Nihil te, LECTOR, Copernicæorum expositio moveat, quod talem ibi inferant sensum, & Spiritum S. sic introducant argumentantem: Quemadmodum Sol oritur & occidit, *uti vulgus putat*: ita res omnes prætereunt. Hæc enim putationis additio, non Sancti est Spiritus; sed illicitè ab hominibus, ad se protegendum, conficta est. Insto. Sicuti à fluminum fluxu & refluxu, ad rerum præteritionem, S. argumentatur Spiritus: ita à Solis ortu & occasu etiam. Disparitatis hic rationem Copernicæus non dabit. Hærebit.

XII. Proponendum adhuc, quod D. Wittichius l. c. art. 8. habet. Simile Lectori, censeo. *Quemadmodum*, inquit, *& Astronomi utuntur formulis similibus ab apparentiis & præjudiciis sensum derivatis, non tamen propterea illa præjudicia sua faciunt, uti in refutatione Objectionum plenius patebit.* Applicatur ad Problema nostrum.

Quod

gendi, cognoscendi, &c.

3. *Secundùm opinionem vulgi, & communem loquendi modum.*

4. *Respectu nostri, & quia habet se, per modum talis.*

III. Utiliter valdè ista atque eruditè distincta sunt. Applicaremus modò rectè. Ita enim Deus O. M. loquens, hominum loquitur linguâ. Ita scribentes, Prophetæ & Apostoli, hominis scripserunt stilo, Esa, 8. v. 1. Et certè, negare ista qui vellet, impietatis an stoliditatis accusaretur, ambigo. Scriptura est θεόπνευστος, & secundùm rem, & secundùm verba. Hæc verò humana sunt? Taliter ea Sacratissimus dictavit Spiritus, 2. Pet. 1. v. 20. 21. Condescendere quippe Tibi, ô Humus, gratiosissimè DEUS voluit: ut Tu, arcana ipsius Sapientiæ documenta faciliùs, & quasi præmansa, apprehenderes, digereres. Condescendit: ut ad altiora Te, altiùs contemplanda, excitaret. Opt. Max. hæc sapientia est. Eidem Gloria! quia benè omnia fecit. Tibi pudor & confusio: quia benè facta non capis: quia Vanitas: & tam superba quidem es.

IV. Conveniens erat S. literis, divina & spiritualia sub corporalium similitudine atque sensibilium tradere. Non hunc dedecebat hominum linguâ loqui, cui esse Hominem non displicebat. Tibi verò ô Homo, omnia ista. Ut capias. Ecce repræsentationem!

tionem! Ut discas. Ecce utilitatem! Divina igitur doctrina, naturali ipsius hominis intelligendi modo accommodata, convenienter locutionibus, suprà descriptis, utitur: ut manifestet intelligibilia per sensibilia.

V. Cum itaque constet, Spiritum S. nobiscum paternè balbutire: inquirendum erit, in quibusnam id fecerit, & faciat adhuc, Scripturae locis? Non enim, si in uno atque altero, imò tertio etiam, loco id facit, ubique id facere eum, sequitur: quod vult D. Wittichius, Dissert. I. cap. 2. art. 1. *Similis*, inquit, *ratio est aliorum scriptorum* θεοπνεύστων, *ubi enim communis est causa, id quod dictum est uni, omnibus dici intelligendum est.* Resp. 1. Similis est ratio aliorum scriptorum. Sed ALIQUORUM; non omnium. 2. Communis est causa? Sed variè proponitur: adeo ut, quod dictum uni est, de omnibus dici non potuerit. Excipiemus quaedam.

PROBLEMA VII.

AN Spiritus S. cum Vulgo tantùm inerte balbutiat? Nego.

I. QUia 1. cum Hominibus, in genere; non autem cum vulgo, in specie, DEUS in suis loquitur literis. Patet: quia Verbum Dei omnibus Catholicè propositum est. Itaque, quibus Verbum DEI propositum est, cum illis Deus

Deus locutus est. Sed Hominibus in communi Verbum DEI propositum est. Ergo cum Hominibus in communi est Deus locutus. Ex Consequenti, Ergo non cum solo tantùm balbutivit. Vulgo.

II. 2. Quia non Vulgi; sed Hominis; sed filiorum Hominum linguâ, stilo, Spiritus S. utitur, quando balbutit, Esa. 8. v. 1.

III. 3. Quia Eruditi cum Vulgo etiam in Sacris recensentur, & vulgus quoque appellantur. Nostro Seculo, vulgus Eruditorum, id est, multitudo, maxima pars, Eruditi communiter audiunt.

IV. 4. Vulgus sumitur: (α) *latissimè* & generalissimè, pro Multitudine, cui promiscuè Eruditi etiam includuntur. In hac significatione Salvator cum Propheta de vulgo pronuntiat: *Et erunt omnes docti à Deo.* Item, Daniel: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti*, Dan. 12. v. 3. (β) *Strictiùs*, pro vulgo, ab Eruditis & Sapientibus distincto. Hujus tamen tertiæ significationis Eruditi: hoc est, sale aspersum vulgus: prudentiæ atque scientiæ non omnino expers: aliquomodo eruditum est. (γ) *Strictissimè*, pro vulgo inerte qui eruditionem & sapientiam, propriè & strictè intellectam, ne delibavit quidem.

V. 5. (δ). Sumitur vulgus *negativè*: pro vulgo, qui Sapientiam atque eruditionem, latè sumptam, & penitus nullam habet

bet; neque habere curat. Brutum esse atque bardum istum dixeris vulgum. Stolidas vaccas. Sed, in hacce significatione, Vulgus minor solummodo hominum & exigua pars, erit; non verò prægnans multitudo. Ad istiusmodi vulgi captum Spiritus S. sua proposuit Oracula.

VI. Bellum hîc movere cuipiam nolo: quia, in quâ significatione Copernicæi Vulgum hactenus intellexerint, nondum constitit. Cæterùm, quid Clarissimus Wittichius de vulgo sentiat, anxiè dubito. Cùm enim vulgum, homines crassos, rudes, terrenos, & aliter, ex Calvino & aliis, cognominat: inclinare mihi ad tertiam, vel quartam vulgi significationem, videtur.

Sed, quia de mente Doctissimi viri non constat, præter ipsum jam ire, consultum erit.

PROBLEMA VIII.

IN quibus Scripturæ locis Sanctus Spiritus nobis condescendit?

I. GRatiosè & paternè Deum, quam fecit, creaturæ rationali condescendere, receptum utrimque est. Condescendit autem nobis; vel in merè spiritualibus, quod sub lite nondum fuit. Vel 2. in mixtis, pneumatico-physicis, rebus: quod admittitur etiam. Vel 3. in merè naturalibus, quod Copernicæorum est postulatum;

latum; sed nondum ipsis concessum. Vel 4. generaliter, in philosophicis: theoreticis & practicis. Sed condescendentia ista, proprie nulla est. Ad Problema autem respondeo: Spiritum S. in spiritualibus maximè, atque Mysteriis, ad nostrum descendere captum: quia humanam egrediuntur rationem. Nequaquam ita in Naturalibus: quod infrà probatum ibo.

II. Assertionis autem istius rationes sunt. 1. quia Spiritus S. nobis condescendit, ob defectum & impotentiam, Divinam rem, sensualiter atque rationaliter, concipiendi: hoc est, quia eandem intelligere ex nobis ipsis haud possumus. 2. Quia Res NOVAS proponit; non verò naturales: utpote, quæ propter facilitatem & cognitionem tritam obsoleverunt. 3. Quia condescendere homini, in falsa rei naturalis apprehensione, Deo est idem, quod sua abnegare opera. Imò, seipsum. 4. Idem DEUS nobis condescendit, ut judicemus: vel judicare aliquo modo atque concipere difficilia discamus; non autem, quia præjudicavimus, quod vult Wittichius. 5. Quia, condescendere alicui, atque ad ejusdem captum sese accommodare, est apprehensum (dicere liceat) facilitare. Hæc autem facilitatio per novi in homine conceptûs fit efformationem. Loquor cum pueris; sed pueriliter: ut mei animi sensa commodiùs percipiant. Ita cum vulgo Deus locutus.

locutus vulgariter est: ut rem, vel cogitatu impossibilem, necessariam tamen, aliquo, vulgari, humano modo apprehenderent.

III. Dico autem, Spiritum S. sese vulgi sensui accommodare in spiritualibus: non simpliciter, omnibus; sed in QUIBUSDAM; præcipuis, & maximè tamen, v. gr. Esa. 4. Vinea. Cant. 1.2.3.4. Sponsa, Columba, Lilium, Matth. 20. Nuptiæ, &c. Atque ita non est, quod sic cum nonnullis argumenter, necessum: Si Scriptura, tradendo mysteria aliasque spirituales res, captui vulgari non condescendit; multo minùs condescendet in naturalibus. Hanc, siquidem consequentiam admitto; sed consequens esse, & connexionem, nego. Antecedens enim falsum est: quia non universaliter concludit.

IV. Dantur porrò quædam Mysteria & Spiritualia, de quibus Deus, simpliciter & absque balbutie, ad Homines locutus est: uti sunt: Sacramenta, Mysterium SS. Trinitatis, Incarnatio, & alia.

V. Quæritur jam: Quare Spiritus S. in hisce locis humanò captui sese non accommodaverit? D. Wittichius, Dissert. I. cap. 2. art. 3. pag. 8. duas adfert rationes, quas examinare Sancta me jubet Alethea. Eusebia seriò monet.

VI. Prima est: *quia de iis* (mysteriis) *vulgus antehac nulla præjudicia formavit, cum quibus pugnent.* Resp. 1. Est Elenchus

Causæ,

Causæ: causa enim rei datur, quæ tamen causa ejus genuina non est. Ostendo Quicunque, propter sua in spiritualibus præjudicia, castigatur: ille contrarium in spiritualibus præjudicavit. Castigantur autem, Luc 22. Fratres Zebedæi, cum Matre. Item duo peregrinantes, Luc. 24. v 25. 26. Nec immerito: Sapientia quippe carnis, inimica Deo est, Rom. 8. v. 7. Ergo illi contrariam veræ opinionem de Christi Regno præconceperant, præjudicârant. Dicunt enim: *Nos autem sperabamus*, putabamus, v. 21.

Ergo Victor φιλάνθρωπος, suos de suo Regno informando, absque respectu ad ipsorum infirmitatem, ex rei veritate locutus est: quia præjudicaverant aliquid.

VII. 1. Resp. Quicunque Mysteria Dei intelligere non potest, & tamen de iis cogitat: ille de Mysteriis præjudicavit. Sed Sanctorum multi in Vet. & Novo Fœdere, quæ intelligere non poterant, de Mysteriis cogitarunt. Ergo de Mysteriis præjudicârunt. Major claret, ex ordine mentis operationum. Mens quippe humana rem simpliciter primùm, seu objectivè & materialiter, apprehendit. Deinde eam disponit, Enunciationem affirmando, vel negando. Tandem differit, & per praxin syllogisticam rei, ejusdemque veritatis, satagit. Minor patet, Ose 6. v. 6. *Misericordiam volo, & non sacri-*

ficium. In præconcepta quippe de Sacrificiis opinione Religiosos illos esse hallucinatos, Magnus docet Propheta, Matth. 9. vers. 13. *Ite*, inquit, *& discite quid hoc sit?* Item, Joh. 6. v. 41. *Murmurabant Judæi.* 52. *litigabant.* 60, *Durus est hic sermo: quis potest eum audire?* Adeo, ut Christus, suâ informatione crassas ipsorum & carnales corrigere cogitationes, necessum habuerit, v. 63. Item: Jesu pueri Parentes, Luc. 2. v. 50. *Et ipsi non intellexerunt verbum hoc.* Unde, non eos intellexisse, probas? Ex eo, quia cogitarunt, judicarunt de rebus Christi cœlestibus, tacitè inter se disquirentes: quidnam hoc rei erit, circa quam eum esse, etiam nobis insalutatis, oportet? Sed, quidquid conceperunt, non perceperunt. Judicârunt ergo Parentes cœlestia, & anxiè cogitarunt. Neque tamen summus Doctor eis condescendit; sed rei veritatem, ipsorum non curans captum, rotundè & simpliciter effatus est.

VIII. Neque istud in S. Literis perpetuum est: vulgum scilicet de spiritualibus τὸ ὅτι credere; de τοῦ διότι verò ne cogitare quidem: quæ assertio D. Wittichii l. c. est. Resp. Gaudeat, suâ distinctione. Ego, eam non perpetuam, sed multoties esse falsam, probo. Exemplum sit B. Maria Virgo, quæ Mysterium Incarnationis, secundùm τὸ ὅτι, crediderat quidem v. 45. Veruntamen

men τὸ διότι non intellexerat. Dicas jam: Matrem Domini de τοῦ διότι non cogitasse? Falsum dices: quia, quomodo non cogitavit, quæ intelligere exoptaverat? Cogitavit certè, & valde præjudicavit Virgo, de Filii Dei Incarnatione: (α) quia à Sancto edocta eam fuit Spiritu, Gen. 3. v. 15. Et, ne de communi muliere ista acciperet, distinctius legit, Esa. 7. vers. 14. *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabit nomen ejus Immanuel.* (β.) quia ipsa animi sui (adhuc infirmi; credentis tamen) sensa prodit, quærendo: *quomodo fiet istud, quoniam virum nescio?* vers. 34.

IX Sufficit. Quanquam addidisse debuerim: Vulgi, tam vagi, tam præcocis, tam curiosi, mentem teneri difficulter posse: ne contrarium præjudicet: ne in conceptam inquirat rem. Præjudicavit Chava, Gen. 4. v. 1. Abraham, cap. 17. v. 17. Sara, cap. 18. v. 10. & alii. Et hi Sancti DEI Homines? Quid, dicere de vulgo, præsumes? Age, quisquis virorum es! experire: tenta animum. Experire, inquam, an frænum vulgi tenere possis, ne, vel de abstrusissimis rebus, suam præconcipiat sententiam. Virum Te credam. Omnes laudabimus.

X. 3. Idem Autor, l. c. in Responsione primâ, de vulgo, circa naturalia, infert: *At de rebus,* inquit, *naturalibus vulgus contrarias sententias veritati sæpè concepit, il-*

lasque tam firmiter habet radicatas, ut putet à natura se de iis esse edoctum, adeoque quicquid eis repugnat, pro commento soleat habere. Resp. 1. Ista vulgi captum non exhauriunt. 2. Si contrarium de naturâ concepit; factum hoc per accidens est: quia non SEMPER, sed, fatente D. Wittichio, *sæpè*, totaliter concipit. Descendamus ad alteram Rationem.

XI. *Altera*, inquit, *ratio diversitatis est, quòd mysteriorum cognitio sit fidei, quæ propterea debebant in Scriptura tradi, & quamvis essent difficilia, tamen fide admitti debebant: at res naturales pertinent ad scientiam, & citra salutis periculum possunt ignorari.*

Resp. 1. Non conveniunt ista. Deus in SS. Mysteriis vulgo non condescendit: quia Mysteria sunt fidei. Imò, quia fidei sunt, gratiosam S. Spiritûs, in eorundem traditione, condescendentiam requirebant. Contrarium sequitur. 2. Non cohærent: quia Mysteria captui difficilia sunt, obscurè ea proponi debuisse. 3. Falsum est, Deum vulgo in naturalibus condescendisse, quia ad scientiam pertinent. At, cur res naturales non traduntur à S. Spiritu?

XII. 2. *Omittuntur*, respondet D. Wittichius, l.c. pag. 9. *ne, si earum veritas, quæ sensuum cognitioni & apparentiæ sæpius adversatur ac proinde incredibilis vide-*

videtur, vulgo doceretur, homines, qui de rebus naturalibus vix aliam, quàm sensualem habent notitiam, turbarentur, & ita etjam ab aliis, quæ in Scriptura traduntur revelata, averterentur. Resp. 1. Vanus iste est timor, & à mente Sanctissimi Numinis alienissimus? Ratio: quia hominum infirmitas Veritati & Voluntati Divinæ non præscribit. 2. Metus iste nullus omnino est. Cur enim, ob doctrinam de Expanso, non turbatus Homo est? Cur non, ad doctrinam de Aquis supracœlestibus, exhorruit? quæ tamen ipsi toties, simpliciter, & sine respectu ad captum ipsius impossibilem, proposita erat, Gen. 1. vers. 6. 7. 8. Psal. 148. vers 5. Cur non concidit, eo quòd, flumina ex mari fluere & eòdem rursus refluere, Spiritus S. eum, contra captum & mentem suam, docuerit? Cur, denique, vulgus non turbatur eo, quòd Ecclipses tanto tempore prævidentur? Doctus ad ista respondebit; non Vulgus? 3. Quapropter? Quam ob causam Vulgus, ob tam sibi difficilem, imò cogitatu impossibilem, rerum naturalium cognitionem, non omninò SS. Mysteriorum abjecerit doctrinam: scire expeto. Præceptorem te salutabo, quicunque es, LECTOR, si me ista docueris. Expecto.

XIII. Exceptionem Clarissimi Schookii, lib. 4. de Scepticismo, cap. 19.

 Pro-

propositam D. Wittichius non solvit. Falsum quippe est consequens. *Ut, si Sp. S. locutus* (verba solutionis Wittichianæ c.c. art. 6. p. 10. extant) *fuisset de rebus naturalibus uti sunt & ἀκριβῶς non uti apparent, illa dicta S. Sancti pro incredibilibus à vulgo habenda fuissent,* &c. 1. Falsum, inquam illationis consequens est. Cur enim Aquas supracœlestes, Expansum, Fluminum ex mari fluxum & refluxum, pro incredibilibus non habet; quæ tamen incredibilia vulgo sunt? 2. Non adeo Vulgus rebus resistit naturalibus, quàm Mysteriis & spiritualibus; neque tamen ad captum proposita ei sunt Mysteria. 3. In eadem Exceptionis Schoockianæ solutione falsò præsupponitur: particularem atque controversam Hypothesin Naturæ Lumen; aut luminis Naturæ doctrinam esse. 4. Quod Apostoli in V. T. citationibus Versionem LXX. secuti sint: factum id est propter receptam, & sermonis Græci, & Versionis Græcæ, consuetudinem & usum. Rectissimè igitur à D. Riveto & D. Voetio responsum ad hæc est: placuisse scilicet Sancto Spiritui, Apostolos dirigenti, se hîc recepto accommodare usui & consuetudini: ne homines turbarentur. Sed, quid hoc ad rerum naturalium fidem. Quid ad rem? Non negatur ibi divinæ condescendentiæ benignitas; sed in purè naturalibus.

XIV. Quam

XIV. Quam Ecclesiastes du Bois, in Dialogo Theol-Astronom. p. 13. adfert, ad instantiam nihil quicquam reponit D. Wittichius. Non igitur eam solvit. Assumam Leydensis verba: *Probandum esset non dicendum tantùm, Scripturam tam ruditer & tam crassè loqui, ut rei ipsius veritas ex verbis erui non possit. Sit ita, ut in materiis quibusdam, ad modulum nostrum se nobis accommodans, nobiscum balbutiat, id fit in materiis gravibus & conceptum nostrum excedentibus; non autem in Physicis, non in Astronomicis.*

XV. Falsum certè pro verò ab iis venditatur, qui docent: Spiritum S. tam ruditer & tam crasse loqui, ut rei veritas ex verbis ipsius erui non possit. Enunciatio hæc contradictoria est. Quæ enim hæc Spiritûs S. erit crassities? quæ ruditas? Quia crassus in opinione est vulgus, crassus etiam in locutione Sanctus est Spiritus? Scilicet! Et quidem adeo crassus, rudis, ut ex ipsius verbis exoptata haberi veritas non possit? Meorum hanc esse assertionem inimicorum, etiam nollem. Sed respondebo, 1. Crassa illa Scripturæ ruditas habet se, vel subjectivè, vel objectivè. Si objectivè, propter vulgum ita sentientem: tum Scriptura, in rebus naturalibus populo Dei manifestandis, ab erronea Vulgi dependebit opinione. Absurdum hoc 2. Erronea, atque

ita falsa restabitur. Blasphemum. (γ.) Infra hominum infirmitatem descendet. Inconveniens.

Si subjectivè: Scriptura erit in se, ad erudiendum Opera Domini hominem, rudis: in se crassa & obscura, ut inde erui veritas haud possit. At, hoc de Scriptura affirmare, periculosum valde est.

XVI. Si enim difficilis & rudis est in rebus naturalibus: quid dices de supernaturalibus? Illa quidem facillimè in Verbo Dei apprehenduntur; hæc non item. 2. Non intelligere in Scripturis S. naturalia, deliquium facultatis est. Quod enim excipitur, Deum in naturalibus accmomodare sese humano captui, quia homo præjudicavit: ineptum est. Si enim homo præjudicavit quidpiam Scripturis; tum eo facilius erit id, quod ab homine Scripturis est præjudicatum. 3. Frustra etiam sunt, qui captum humanum, in rerum naturalium contemplatione, nimis extenuant, eumque, mirum, quantum incrassant. Egregium Hypotheseos Copernicææ operculum: ultimum in Sacris asylum. 4. Nec obstat, quod regeritur: Deum sese vulgari captui accommodare, & cum eo balbutire, adinstar Patris benigni cum liberis suis. Non enim negatur absolutè accommodatio illa; sed in naturalibus tantùm. Jam Pater condescendit liberis in iis duntaxat, quæ tenellum

lum ipsorum excedunt captum. Applico. Ita Deus hominibus condescendit, tanquam Pater, in SS. Mysteriis, aliisque spiritualibus, & captum excedentibus, rebus. Deinde. vix unquam Deus ita balbutit, ut veritas rei elici ex verbis ejus non possit.

XVII. Sed & Leydensis l. c. multum hîc concessit. 1. Deus quippe, nobiscum balbutiens, tam crassè nunquam, & ruditer loquitur, *ut rei ipsius veritas ex verbis erui non possit.* Sudandum hîc erit largiùs, donec, Deum in RE balbutiisse, ostendatur. Certè non ostendetur. Ausim provocare. Infrà autem balbutiendi ratio Tibi, Lector, exponetur. 2. Contra Fidei analogiam est, concedere: S. Scripturam tam ruditer & crasse loqui, ut rei veritas ex verbis ipsius erui non possit. Siccine Res à Spiritu Dei proponuntur, ut Veritas earum intricetur, occultetur? Legerit ista Pontificius. Nonne TE tuo ipsius petet gladio, argumentans: Si Scriptura tam rudis & obscura est, ut veritas rei naturalis erui exinde non possit: multò magis in spiritualibus erit talis. Scio, respondi illi posse. At, quid opus erat, cum Adversarii scandalo, taliter argumentari? Periculosa hæc est disputatio. Cæterùm, compono me. Quippe D. du Bois ista posuit; non verò concessit: quod existimo.

XVIII. Videamus autem, quid Eccle-

siasti D. Wittichius respondeat? 1. *Dedimus*, inquit, *rationem, ob quam fiat, quod Scriptura de rebus naturalibus sæpè tam crasse loquatur, ut rei ipsius veritas ex verbis erui non possit, atque τὸ διὸτι protulimus.*

Resp. Crassa nimis hæc est responsio: quia tam crassè, & minùs quàm humaniter, de Deo sentit. Inepta: quia ad particularem vulgi conceptum divinam restringit Sapientiam. Falsissima: quia tam crassa Spiritûs S. præsupponit oracula, ut rei veritas erui exinde nequaquam possit. Subtiliùs sanè atque verecundiùs de Divinis sensisse, Theologum decebat. Ad τὸ διὸτι suprà, num. 8. responsum est.

XIX. 2. *Si concedatur*, pergit, *SS. in rebus gravibus ad modulum nostrum sese accommodare & nobiscum balbutire, atque ibi nullum periculum imminet Sp. S. arguendi (absit blasphemia) mendacii & falsitatis, multò magis hoc concedendum est de rebus Physicis & Astronomicis, cùm hæ non ita sint cognitu necessariæ, ut materiæ graviores.* Resp. 1. Scripturam S. ad humani ingenii modulum, circa rerum graviorum apprehensionem, se interdum accommodare; sed non ita balbutire, ut ex verbis ipsius rei veritas erui nullo queat modo. 2. Periculum certè imminet: si oracula Dei sine veritate conceperis. Neque blasphemia omnino aberit. Absit sanè! Et aberit: si

tuas

tuas in Sacris circumcideris præsuppositiones: si nondum concessa atq; dubia postulare, vel in Sacris tantùm, desieris. 3. Distribuitur Spiritûs Dei balbuties ex causis: fieri eã, vel propter rei gravitatem, vel necessitatis nullitatem. Sed inconvenienter. Alterũ falsum est: quia, si res naturales homini minùs necessariæ sunt, quare condescendit Deus? Cur proponit, quæ necessaria non sunt? Arbitror, Deum in spiritualibus homini condescendere: quia necessaria maximè sunt; neq; ab homine percipi commodè possunt.

XX. 3. *Et quamvis*, pergit, *res Physicæ & Astronomicæ captum hominis absolutè non excedunt, attamen excedunt captum hominis idiotæ, præjudiciis multis mentem habentis occupatam, & non per prævias doctrinas ad ea capienda sufficienter instituti.* Resp. 1. Res physicæ & Astronomicæ captum hominis idiotæ simpliciter non excedunt; sed per accidens. Jam propter id, quod per accidens tantùm fit, Sanctus balbutiet Spiritus? 2. Idiotarum captum excedunt res physicæ? Excedant sanè. Ideone Divinus cum iis hallucinabitur sermo? 2. Nota Benè. Spiritus S. res physicas hominibus doctis simul & indoctis, non vulgo tantùm, proposuit. 3. Imò credibilius est, doctis potissimùm res naturales in Sacris esse propositas: quia illi, subacti judicii homines, faciliùs apprehendunt: & quia

ipsi plebis erudiendæ organa & media sunt.
4. Vox, *Idiota*, non sumitur pro simpliciter & privativè ignaro; sed positivè & comparatè, ad Eruditum. Jam, præter Eruditos, dantur multi, qui Idiotas inter recenseri nullo debent, nec possunt, jure. Horum captum res naturales non excedunt. Cætera vulgi colluvies, non homines; sed hominum pars, & numerus tantùm, sunt.

XXI. Secundum D. Wittichii, c.c. art. 11. argumentum est: *Si singulari prudentia Apostoli θεόπνευστοι concesserunt ad tempus à Judæis observari circumcisionem, quæ tamen per Christum facta erat non tantum inutilis, sed etiam perniciosa, Gal. 5.2. &c. Ergo multo magis præsumere licet, Sp. S. in iis, in quibus error, vel prava opinio non est peccatum, neque cum periculo salutis conjuncta, sese notitiæ vulgarium hominum, quorum maxima est pars, accommodare voluisse, &c.* Resp. Duo in argumento sunt: Antecedens & Consequens. 1. Antecedens verum est. Condescenderunt Apostoli, circumcisionem, etiam inutilem, concedendo. Sed (α.) Judæis condescenderunt ad FACTUM, ut facerent; non verò ad captum, ut intelligerent. (β.) Descenderunt ad factum *hominum*; inter quos docti etiam erant, non vulgi Judæorum tantùm. (γ.) Fecerunt hoc inviti, nolentes - volentes, coacti: & tantundem, donec Judæorum Syna-

Synagoga honestè sepeliretur. Sed quid hoc ad rem, tam controversam. Ludimus certè, in gravissimis etiam materiis. Seriò an joco? Nescio.

XXII. 2. Consequens sonat: *Ergo multo magis præsumere licet*, de Spiritu S. Quæ iterum hinc absona prodeunt, Lector, recense. (α.) Connexio Consequentis cum Antecedente nulla est. Si inviti & coacti Populo Judæorum Circumcisionem ad tempus concesserunt Apostoli: Ergo Spiritus S. sese accommodat ad captum vulgi. Non licet igitur D. Wittichio, à facto ad captum, ab invito ad liberum, præsumere. Et ideo præsumtio minùs est argumentativa: quia præsumtio. (β.) Falsa præsupponitur hypothesis: *errorem*, scilicet, *& pravam opinionem non esse peccatum*. Contra fidei hoc est Analogiam, & Scripturæ doctrinam, quæ docet: pravas opiniones atque errores, in rebus spiritualibus & naturalibus, cœcitatem esse intellectûs: item, Originalis peccati pœnam, & peccatum ipsum. Prava de Operibus Dei opinio peccatum non erit? Quid igitur? Erit justitia. Tertium non dabis. Dices ergo: errorem intellectûs atque pravam opinionem, parvum esse atque veniale peccatum? Resp. Et peccatum, per se, est: quia defectus: & magnum, in se: & damnabile, ex se. Cum itaque falsas, circa Jehovæ Operum contemplarionem,

nem,

nem, fovemus ac docemus opiniones: nonne peccamus? Utique infirmitatis etiam deprecamur pœnam; quam tamen, blandiendo ipsis, nobis, justificare solemus. Veniale est? sed confidentiæ nostræ: non justitiæ Dei.

XXIII. Tertium D. Wittichii argumentum est, &, art. 12. à Versionis LXX. Interpretum in N. T. usu, ab Apostolis concesso, petitur. Sed ad rem ista ne hilum quidem facere præsentem, suprà, num. 13. ostendi. Quæ pro se, ex Viris Clarissimis, D. Riveto, Isagog. ad Scripturam S. p. 137. & D. Voetio, Disput. Select. part. 1. pag. 60. adducit, nihil ad oleas facit: 1. Quia dubia illa Scripturæ loca, Luc. 3. 36. de Kaïnan, &c. in Messiæ exhibiti Genealogia, insolubilia ferè Viris celeberrimis sunt. 2. Quia loquuntur de facto Euangelistarum; non verò de captûs vulgaris formalitate. Pagina igitur collocanda mihi utiliùs aliàs, & meliùs erit.

XXIV. Quartum desumit Autor argumentum, à Spiritûs S. in rebus Spiritualibus explicandis, accommodatione. Sed Elenchum committit Oppositorum. Locutiones Anthropopathicas de Deo, paulo suprà, lib. II. Prob. 2. Num, 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18, examinavi. In quibus locutionis rationem declaravi. Hallucinationem Scripturæ, quam desideravi, negavi. Idololatricam

tricam Vulgi, de Deo, opinionem, & crassum præjudicium improbavi, refutavi.

XXV. Argumentum (D. Wittichii quintum) ex Matth. 19. v. 16. 17. non argumentatur; sed explicat. Non concludit: quia non procedit. Christus cum Juvene divite, de Spiritualibus, ad captum disputat. Ergo in naturalibus. Ergo in sacris, de Terræ quiete, locis, ad captum & opinionem vulgi, loquitur. Alienum hoc.

XXVI. Sextum Exemplum, 1. Cor. 15. v. 29. (*Alioqui quid facient, qui baptizantur super mortuis? Si omninò mortui non suscitantur, cur baptizantur super mortuis?*) Autoris est. Sed, ne septa quidem tangit olearum. Taliumne auditores argumentorum semper erimus? Nunquamne reponemus? Togam certè deponemus. Interea, LECTOR, TE monitum atque, per Alethea & Eusebiæ Sacra, obtestatum volo: legas, expendas, &, quæ à Copernicæis adducuntur, argumenta judices. Decide. Sequuntur plura, alia.

* * * *

XXVII. Quòd Spiritus S. in naturalibus vulgari sese accommodet captui: probat D. Wittichius, Diss. I. cap. 4. art. 1. adducitque loca. * 1. Deut. 30. v. 4. *Etiamsi quis ex tuis depulsus esset ad extremitatem cœli, inde colligam te. Cui similis est locus, Esaiæ 13. v. 5. Veniunt è terrâ longinqua ab*

ex-

extremitate cælorum. Ad quæ suprà, Lib. I. cap. 10. num. 20. & 31. 32. 33.

XXVIII. * 2. Job. 26. vers. 11. *Usque dum Columnæ cæli concutiantur, & obstupescant ab increpatione, & 2. Sam. 22. v. 8. Et concutitur ac movetur Terra, fundamenta Cælorum commoventur, &c. Ut ita montes dicantur fundamenta cælorum, quæ locutio sanè satis est vulgaris, innitens isti sensuum præjudicio, quòd cælum montibus incumbat, unde & Poëtæ Atlantem portare cælum dixerunt nominatim Homerus Odyss. A.* Resp. 1. Vulgum ita non concipere montes, quasi Cœli essent columnæ: quia Vulgus concipit semper cœlum stellatum, seu æthereum. Eò autem usque montium assurgere cacumina, vulgus nunquàm credit, neque concipit. 2. Neque obstat vox, *columnæ*: eò quod columna rationem habeat sustentaculi, seu fulcri. Non quippe ista perpetua est significatio in Scripturis, Exod. 13. vers. 22. Habet rationem sitûs. Videre istud est in Herculis etiam Columnis, quæ stant; non sustinent. 3. Dato: montes cœlorum esse fundamenta, dixerit vulgus. Anne, sic sensisse eundem atque credidisse, concludi exinde potest? Nullâ ratione.

XXIX. 4. Imò, etiamsi, librum Jobi esse Poëticum, diceres; tamen minùs nihilo proficeres. Si enim finxit vulgus Poëticè, tum

tum finxit; sed, NB. sub voce ac conditione, QUASI. Dixit forsitan, vulgus (si dixit) cœlum incumbere montibus, cum limitatione, q. d. montes in tantum assurgunt fastigium, ut, *quasi* incumbere iis cœlum, videatur. Probabilior hîc vulgi sensus est. Non enim, cœlum montibus incumbere, Judæi crediderunt: quia singulariter tantos, uti Tauri juga, Olympus, Atlas sunt, ferè non viderunt. Deinde, cœlum à Terra esse remotissimum, sciebant & credebant Judæi, Psal. 103. v. 11. 12.

XXX. 5. Do instantiam. Psal. 104. v. 8. dicitur: *Ascendunt montes, & descendunt campi in locum, quem fundasti eis.* Ergo Vulgus, montes ascendere ad usque cœlum, & campos ad usque imum verè descendere, putat creditque? Non sequitur. Dices; ascendere dicuntur montes, quia sic videntur. Resp. Falsum hoc: in alto enim esse, non ascendere in altum, videntur. Si tamen & hoc concedi tibi velis: distinguo inter oculum corporis, & oculum animi.

XXXI. 6. Atlas, quem D. Wittichius adducit, dictus à Poëtis est, suis portare cœlum humeris. Quare? Ex derivatione Hominis, qui humeris sustinere onus potest. Atlas enim (a) Asiæ, Nymphæ, filius, Promethei frater, Mauritaniæ Rex erat. Oraculo autem monitus, ut sibi à Jovis caveret filio, nul-

nullum hospitio excipiebat. Quod Perseus indignè ferens, Gorgonis ei caput ostendit. Quo viso, Atlas in montem mox conversus est, (β.) Atlas fuisse dicitur Astrologus insignis, qui de Sphærâ hominum primus disputavit. Unde, portare eum cœlum, canit Virgilius:

—— Ubi cœlifer Atlas
Axem humero torquet, stellis ardentibus aptum.

γ. Quæram hinc. Cur Poëtæ, Atlantem cœlum humeris sustinere, dixerunt? Dices: quia viderunt sic, & ideo locutio ipsorum est secundùm id, quod videtur? Resp. Ergo Cœli quoque axem secundùm apparentiam Poëtæ descripserunt: quia de Atlante Virgilius canit, *axem humero torquet.* Disparitatis rationem non dabis. Ergo. Expedias te: quia urgeris.

XXXII. (δ.) Scito, LECTOR, Atlantem, *montes claros*, esse duos. Unus ad Herculis Columnas; alter in Lybia interiore remotior. Hujus summitas videri nunquam, si Herodoto credimus, potest: quia nubes ab illo, nec æstate, nec hyeme, divelluntur. Quapropter incolæ, Cœli eum esse columnam, dixerunt. Sed, quòd Virgilius viri formam Atlanti tribuit, fecit ideo: quia Atlas, Mauritaniæ Rex, conversus in eum ab ipsis fingitur. Unde Virgilius graciliorem de eo avenam inflat:

At-

Atlantis cinctum assidue, cui nubibus atris
Piniferum caput, & vento pulsatur & imbri:
Nix humeros infusa tegit, tum flumina mento
Præcipitat senis, & glacie riget horrida barba.

XXXIII. (ε.) Vides, quæ depicta hîc sunt figmenta? Sed monendus ante es, quàm Te demittam. Dum Poëtas legis, attende. 1. Multa illi dixerunt, quæ, in rei veritate esse talia, censuerunt. Dixerunt autem, ut Philosophi. 2. Multa dixerunt, quæ finxerunt, simpliciter. Et finxerunt, ut Poëtæ. Sed, non esse in ipsa re talia, sciverunt. 3. Multa dixerunt, & finxerunt ad allusionem. Et sic Veritatem tincturis suis delineârunt. Larvam etiam induxerunt: &, quam in figmenti larvâ dissimularunt, Veritatem intrinsecè prodiderunt. 4. Poëtas cùm legis: legas illos non, ùt Poëtas, semper; sed, ùt Philosophos, etiam.

XXXIV. *3. Psal. 2. vers. 8. *Pete à me, & dabo gentes in possessionem tuam, &* fines terræ *jus possessionis tuæ.* Item, *Psal.* 22. *vers.* 28. *Recordabuntur & convertentur ad Jehovam omnes* fines terræ. *Psal.* 48. *vers.* 11. Resp. Quid de Terræ Cœlique extremitatibus sit sentiendum, suprà, lib. I. cap. 10 num. 19. 20. exposui. Nihil ad-

addam; nisi hoc: ubivis hîc Subjecti esse Metonymiam pro Adjuncto: hominibus. At hoc non est, vulgi sese præjudicio accommodare. Tropus enim iste vulgo cum Eruditis communis est: non quidem formaliter, quatenus Tropus; sed materialiter, quatenus locutio vulgaris & usitata. Sic vulgus, etiam insulsissimus, & in strictâ significatione, quotidie loquitur: Hollandt heeft eenen machtigen Oorlogh gehadt met Engelandt / item: Brabandt en Vlaenderen hout het met den Koninck van Spagnien. Nec non: Het Kasteel van Antwerpen kan de geheele Stadt dwingen. Hæc sunt vulgi nostri, nautarum, rusticorum, mulierum, puerorum, quotidiani & vagi sermonis, dicteria. Ergo Deus Pater hominum præjudicio contrario sese hîc non accommodat: quia non est contrarium.

NOTA item BENE. Verba Psalmi 2. vers. 8. ad æternum DEI Filium facta sunt; non ad vulgum. Deus Pater dixit ad Filium; David scripsit ad Hominem, vel si mavi , vulgum. Non hæc tam obiter tractanda sunt.

XXXV. * 4. *Job.26.vers.7. Qui extendit Aquilonem super inane.* Quartum hoc D. Wittichii, pro sua sententia, est exemplum & argumentum. Sed nihil concludit: quia dubia ejus est exegesis, philosophicè: *Per Aqui-*

Aquilonem, inquit Autor, Diss. 1. c. 4. art. 4. *commodè hic intelligitur cœli pars illa quæ habet polum Antarcticum, constituta à Circulo Æquinoctiali, qui Cœlum dividit in duas partes, &c. Inane autem explicandum est de Aëre, quem vulgus nihil esse putat.* Resp. 1. Aquilo non habet polum Antarcticum; sed Arcticum. 2 Neque illa cœli pars Borealis constituta est à circulo Æquinoctiali; sed ad Æquinoctialem, Æquatorem. Credo autem typographicum hîc irrepsisse peccatum, omissionis. Addi quippe debebat τὸ *oppositum*: ut ita textus esset: *Per Aquilonem commodè hîc intelligitur cœli pars illa, quæ habet Polum Antarcticum oppositum.* Non cœli; sed Orbis. 3. Cœlum non habet polum: sed Mundus: quia circuli non in Cœlo, sed in toto Mundi systemate, describuntur. 4. In voce, *inane*, Spiritus S. vulgi præjudicio sese non accommodat: quia, quod vulgus de inani sensit, idem SS. effatus est.

XXXVI. Aquilo est aquila, velociter à Septentrione volans. Incommodè itaque per Aquilonem Arcticus polus, seu cœli Borealis pars, intelligitur. 5. Quid, quæso, cogit, tam longè Oraculi hujus interpretationem petere, cùm proximè genuinam, habeamus? Literaliter, sicuti verba sonant, accipiendum hocce SS. effatum est: quia & sensui sacro, & rei naturæ convenientius

Ex-

Expendo verbum, *extendit*. Inconveniens ſanè eſt enunciatio: Deus polum Arcticum extendit. Dabo convenientem, & adæquatam: *Deus Polum Arcticum* SUSPENDIT, elevat, *ſuper inane*. Extenſio igitur illa propriè Aquiloni, Vento Boreali, tribui potiùs debet. Potiùs, inquam, & veroſimiliùs, Attende. Ventus ille ſiccus plerumque atque frigidus, nivium & grandinis vector, eſt. Quæ omnia quando fundit atque vehementer impellit: extendi quopiam modo ſuper aërem, dicitur. Item: Metaphorica forſitan erit locutio: ab animato ad inanimatum deſumta? Quemadmodum enim ex anguſto flantis orificio arctior primum egreditur ventus, poſtea latiùs in aëre extenditur: ita Aquilo ſeſe per aërem ſpirando quaſi diffundit, extendit, dilatat.

XXXVII. Quid autem vulgus per inane intelligit? Nihil, inquit D. Wittichius. Reſp. Nihil vel eſt poſitivum, vel privativum, vel negativum. Vulgus *privativum* nihil loquitur; ſed non conſiderat. *Negativum* capit, & apertè facit teſtatum: quod *Galli*, *rien*: Belgæ, niet met al: Germani, nichts: Poloni, *zgola nic*, efferunt. Et, hoc ſe ſapere, ſciunt. Quantumvis vulgus confuſè τὸ NIHIL apprehendat. *Poſitivum* vulgus & capit & eloquitur; ſed, ſe id ſentire, ignorat. Tale poſitivum Nihil appellat aërem. Quæro ex plebeio, vel plebeiâ: quid

quid in vacua habeat urna? Respondebit, **Niet met al.** Pergo, Atqui aërem inibi contentum habes; ideoq; Nihil habere non potes. Reponit ille, illa: **dat weet ick wel; maer/ wat ben ick daer meede gedient.** Audis, quid homunciones de Nihilo sentiant? Consulas eos, cujuscunque erunt vel gentis, vel mentis: & porrò audies.

*Non itaque vulgus per *inane* intellexit Nihil negativum; sed positivum. Vulgus quippe, ab infima Terræ regione ad cœlum usque sidereum esse aërem, censet. Si aërem. Ergo non Nihil.

XXXVIII. * 5. Act. 27. vers. 27. *Nautæ circa medium noctis suspicati sunt* (προσάγειν) *appropinquare sibi aliquam regionem.* Locum huncce, à se allatum, idem Autor hoc explicat modo, c. c. art. 8. *Locutio*, inquit, *hæc desumpta est è vulgari visus fallacia, quâ fit, ut dum navi vehimur, littora accedere & recedere videantur, terræque urbesque recedunt.* Resp. Paucis multa expediam. 1. Locutio ista à communi visûs errore est desumta? Nemo id negatum ibit. Sed attende. 2. Fallacia ibi fuit nautarum visus; non verò Judicii. *Terræque urbesque recedunt*, quando portu provehimur: oculo; non rationi. Percipit visus; sed contrarium judicat ratio, ejusdem Videntis. 3. Et, quum facientes iter dicere, ex visus errore, solemus: **sihe/ da komt ein berg; da kompt**

diese

dieſe oder jene Stadt: etiamne revera vulgus ſic judicimus? Dicere ſolemus; non judicare. Nihil ad rem. Oſtendendus erat locus, ubi homines falſum præjudicant in apparentibus naturalibus. Hic enim prævident tantùm; non præjudicant: quia ſe viſu errare ſciunt, & fatentur. 4. Denique Spiritus Sanctus, Nautarum more loquendi deſcribi, ſicuti prolatæ ſunt, juſſit. Non igitur ad captum ſeſe vulgi accommodavit. Nihil itaque locus etiam iſte pro D. Wittichio facit.

XXXIX. * 6. Judas Apoſtolus in ſua Epiſtola, verſ. 13. Pſeudoprophetas deſcribit, quod ſint ἀστέρες πλανῆται, *ſtellæ erraticæ. Erit hîc iterum*, pergit, art. 9. cap. c. *Exemplum formulæ loquendi ab erronea opinione deſumtæ*. Reſp. 1. Sunt Elenchus phraſeos, nec non Cauſæ, in voce πλανῆται, commiſſi. Non quippe ideo Planetæ ſidera hîc errantia appellantur, quia motus ordinem non ſervant & revera errant: quod putare vulgum, D. Wittichius ſupponit; ſed, quia in motu diſcordant. Quidam enim planetarum contra Mundum eunt, uti ☉ & ☽: quidam contra, & cum Mundo, uti ſunt, ♂ ☿ ♃ ♀ ♄. Quod ipſum D. Wittichius diſcere, vel ex ſuis Interpretibus Belgis, poterat, qui catholicum huncce Apoſtoli Judæ textum ſic exponunt: dat is / Planeten

ten / welcker loop / hoewelse seecker is / soo schijnense ons nochtans te dwaelen / om dat haeren loop niet eenparigh en is met de andere sterren. Daer by vergelijckt hy haere ongestadigheyt. Audis? quia ipsorum cursus reliquarum stellarum cursui conformis non est. Ipse Autor reddit, c. c. & art. c. p. 60.

X L. 2. Quâ ratione tertium istud argumentum probabitur: Spiritus S. sese, in ista *Planetæ* voce, vulgari accommodasse captui: *quia vulgus planetas errare erroneè opinatus est?* Ego probationem ne spero quidem. Attende, LECTOR incorrupte. Quis, Planetas errare primus somniavit? quis dixit? quis opinatus verè est? In Mathematicorum Scholis de isto olim est somniatum errore, Dixerunt enim Astronomi, quosdam Planetas irregulariter moveri. Non, quasi irregularitas illa formalis, & per naturam, sit; sed objectivè, comparatè, & in respectu ad directum Solis & Lunæ motum. Et hocce pacto errare eos, Rhetoricè dixerunt; non autem philosophicè senserunt. Si Eruditi; Ergo non vulgus. Ratio obviam est: quia vulgus non tantùm non errare dicit Planetas; sed, eos ne quidem esse, novit. Quod si aliquos scit: errare eos negat. V g. non tam facilè persuadebis Idiotæ, crassissimo etiam, Solem à suo deviare tramite. Experiaris: non ma-

gno constabit. Crassissimum atque bardum convenias Idiotam: quem vernaculo alloquaris sermone, dicasque incidenter: **De Sonne en gaet niet recht.** Ad responsum certè ipsius tuam vellicabis aurem. Philosophi ergo, Planetas errare, primi somniârunt: quia licuit, sano sensu, dicere. Vulgus ista vix dixit. Imò, dixisse, negandum est: quia, quæ Idiotæ præconcipere non potuerunt, dicere non consueverunt.

XLI. 3. D. Wittichii sententia non procedit: quia, quid per stellas istas erraticas intelligi debeat, dubium adhuc & controversum est. Alii quippe Planetas ipsos. Alii quandam in genere stellam. Alii ignem fatuum, &, qui prævalere videntur, cadentes stellas exponunt. Quid ad hanc Homonymiam D. Wittichius? *Non multum,* inquit l. c. *de hoc loco disputabimus, sufficient reliqui loci adducti.* Resp. Sed, disputandum de loco; vel omninò prætereundus erat: neque perforatus objici clypeus debebat. Clariùs. Non erat pro principio trahendum, quod per se incertum valdè erat.

XLII. 4. Congrediamur pro veritatis arâ. Dico: locutionem in S. textu esse metaphoricam. Subsumes: in omni Metaphora nativâ vocis & applicata est significatio. In Prothesi, nativa: in Apodosi, applicata. Ergo, Planetas verè errare, SS. dixit. Resp. astra in genere: non Planetas, in specie,

cie. Et hoc verum est. *Obj*. Hoc autem ex vulgi dixit opinione. Resp. Non stricte dicti, sed late: id est, Eruditorum. Sed hi non de vulgo sunt. Regeres: attamen sequitur, hominibus Deum hic condescendisse. Resp. Hominibus, qui judicare didicerunt; non vulgo, qui discere necdum optat, nec quicquam novit. Instabis: Similitudines sunt propter captum Idiotarum. Resp. Ergo ne omnes Metaphoræ propter vulgi erunt captum? At non omnes Idiota capiet Metaphoras. Ratio: quia non omnium rerum habet scientiam. Hæres.

* * * * *

XLIII. Quam Copernicæi, in Theologicis & Physicis, prætenderunt, Dei condescendentiam ad Sanctam Veritatis Normam examinavi. Dispiciendum quoque in Moralibus erit. Examinabo autem moralia Scripturæ loca, secundùm D. Wittichii quæsitum, & conditionem: ita, (α) ut ex Condescendentiæ verbis rei ipsius veritas haberi non possit. (β.) Ita: ut balbuties illa ex præconcepta vulgi sit opinione.

XLIV. * 1. Adducitur Esaiæ locus, cap. 49. vers. 24. Lege eundem, LECTOR, & num veritatem rei, seu sensum, exinde habere vulgus nequeat, expende. Sed, quid verba consarcino? Ipse D. Wittichius, Dissert. I. cap. 3. art. 1. pag. 36. sibi exactè & Logicè respondet: Cùm eundem, à se, pro

 se, al-

ſe allatum, locum dubium, atque in exegeſi controverſum, facit. *Nam ut ſuſpicemur*, inquit, *mendum irrepſiſſe? ita ut* pro צָרִית *in priori verſu ſit legendum* עָרִיץ *ut quidam interpretes volunt, nulla neceſſitas cogit.* Rectè. Non acceptandum eſt argumentum ad probationem, quod Interpretum adhuc ſtilo laceratur.

XLV. * 2. Matt. 9. v. 13. *Non veni vocatum juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Explicatio D. Wittichii eſt: hîc Salvator per juſtos intelligit Phariſæos, qui turgebant propriâ juſtitiâ & ſibi juſti videbantur, cum tamen nihil minus quâm tales eſſent. Reſp. 1. Bona eſt exegeſis; ſed inſufficienter data. Medicus quippe Deus (α.) collationem inſtituit inter peccatores & juſtos, ſimpliciter tales: abſtrahendo peccatorem & juſtum ab hac vel illa perſonâ. Senſus eſt: non veni juſtos vocatum ad pœnitentiam; ſed peccantes, (β.) Collationem inſtituit inter peccatores Publicanos, & inter juſtos Phariſæos, ipſi obmurmurantes: concretè, in & cum perſonis. Secundùm priùs: nulla eſt ad vulgi captum accommodatio; ſed veritatis ſimpliciſſima prolatio. Secundùm poſterius: falſum eſt, Chriſtum non ad vocandum juſtos etiam veniſſe. Vocavit enim Phariſæos etiam diverſimodè: ut, abnegatâ impura ſuâ juſtitiâ, veram in ſeipſo quærerent,

Matth.

Matth. 5. 20. Luc. 18. verf. 9. id quod vocationis comprobavit effectus, multi enim, *in genere*, in ipsum crediderunt, Joh. 8. 30. Joh. 12. v. 42. in specie, Nicodemus, Joh. 3. Senator, Matth. 27. verf. 57.

XLVI. 2. Accommodatio ad captum vulgi nulla omnino hîc est: quia (α) condescendere Spiritus S. solet homini, propter captus ejusdem imbecillitatem. Verbo: quia non intelligit difficilia. At, quæ tanta in voce, *justos*, est difficultas, quæ vulgi superet captum? (β.) Juxta secundam acceptionem vox, *justus*, est ironica, quá Christus vanitate suffarcinatos perstringit. At, Ironias capere, non vulgaris est ingenii: nisi gesta, nutu vel emphasi loquentis, manifestentur. (γ.) Sit accommodatio. At, nonne veritatem habere ex illius verbis possum? Recurre, LECTOR, ad præcedentem numerum 45. Nonne & Judæi verba Christi, intellexerunt; quocunque id, ex duobus suprà positis, acceperint modo? Ut pote cùm Christus, quos jam justos ironicè appellavit, eos antè hypocritas, & quoties, coarguerat: ipsorum justitiam reprehenderat: *Vos*, inquit, *estis*, *qui vosmet ipsos justificatis*; *Deus autem novit corda hominum*. Et Matth. 23. Sit (δ.) accommodatio. Nonne verè pronunciavit Salvator, Pharisæos fuisse justos? Dices: quia tales haberi coram vulgo volebant? Resp. Tales etiam καρδιο-

διογνώσης pronunciavit. Si enim præcedentia Christi verba ironicè, seu antiphrasticè, accipis, sonabunt: si Pharisæi sunt sani; non opus habent me Medico. Si justi: quid pœnitentiâ opus habent. Ecce Veritatem!

XLVII. 3. Do instantiam. Zacharias & Elisabetha dicuntur justi, Luc. 1. vers. 6. Quod Orthodoxi, de justitia externâ seu civili, exponunt. Scriptura S. de Baptistæ Parentibus, eos fuisse justos, pronunciat, secundùm modum justitiæ humanæ: &, quia pro talibus à vulgo habebantur. Ergo illos verè fuisse justos ex SS. non constat: quia *justitia illa coram Deo non* valet. Ineptissimè. Condescendit *hîc Deus* ad humanæ linguæ verbum, quod commune erat: *ad hominum opinionem*, quæ vera *fuit*.

Δ. Disce hinc, Vulgi opinionem non semper esse erroneam. Et, falsum esse, quod prætenditur. Prætenditur, inquàm: quòd, quicquid Spiritus ex hominum opinione loquitur, illud ex erronea loquatur. Vulgi opinione. Non semper vulgus errat. Erramus nos, meras in Microcosmo, atque perpetuas fingentes tenebras. Quod de Zacharia & Elisabetha sensit vulgus: verè sensit. Fuerunt justi. Quod itidem de Pharisæis opinatus est: verè opinatus est: quia fuerunt justi taliter, qualiter à vulgo, esse justi, putabantur. Apparenter.

XLVIII. Si-

XLVIII. Simile feratur judicium, de aliis Scripturæ locis, Ezech. 3. v. 20. Prov. 18. v. 17. Ezech. 18. v. 24. Mat. 9. v. 13. Luc. 18. v. 9. Actor. 8. v. 13. 1. Joh. 3. v. 12. Jer. 28. v. 1. Marc. 6. v. 10. 1. Sam. 28. v. 12. Cætera, verba tantùm sunt: quæ in Sacra melius perstitissent pagina; quàm huc inutiliter adducta sunt. Non ego chartam insumam: non sumptus celeberrimo Typographo faciam: nec ipse otium, in eorum refutatione, perdam. Omnia enim uno comprehendere fasce, & prosternere quivis attentior potest.

XLIX. * 3. Cæterùm, ut hinc quoque discedam, unum atque alterum, ponderis alicujus, argumentum adhuc resolvam. In moralibus quidem. Primum sit, Jer. 28. v. 1. *Allocutus est me Chanania, filius Hazzuris, Propheta, qui erat è Gibbone*, & v. 5. *Tum alloquens Jeremia Propheta Chananiam Prophetam illum.* Chananias hic Propheta æque ac Jeremias dicitur; cum tamen ille Pseudopropheta ac populi fuerit seductor. Resp. Qui dicit, Chananiam æquè ac Jeremiam esse Prophetam appellatum ex opinione Vulgi, valde hallucinatur. Elenchum committit Distributorum, ex Causis: quia insufficienter causas enumerat. Non ex opinione tantùm vulgi, de Chanania; sed ex præsumptione Chananiæ, de seipso. Talis quippe videri volebat

& esse, si ipsum Dominus misisset. Dubium sanè est, quis horum duorum verus Propheta à populo salutatus fuerit? quanquam textus utrosque describat Prophetas. Sed hoc in genere. De differentiâ loquor: quam novisse vel noscere voluisse plebem, iterum dubito. Ex certamine quippe tam æmulo, uter horum à Domino missus fuerit, certi nihil concludi poterat. Jeremias Divini verbi potentiâ & rigore; Chananias verò populi adhærentiâ & seculari brachio prævalebat: utpote, Regis Sedeciæ favore. Optimè de autoritate suâ disputat, qui gladio prævalet.

Recurro. Chananias fuit Propheta; vel, quia talem se populo obtrusit: vel, quia pro tali à seducto habebatur populo. Si prius. Ergo SS. Chananiam, propter præsumtionem ipsius, Prophetam appellavit: quia talem se emendum populo venditaverat. Quod quidem admitterem potiùs; quàm Vulgi opinionem. Posterius concederetur etiam, nisi obstaret: quòd populus scissus tum fuerit temporis in studia contraria. Multi à partibus Chananiæ: pars etiam pro Jeremia, stabant.

Δ. Observo. Spiritus S. mutuatus hîc est Verbum, seu nomen opinionis, à populo; non verò opinionem. Et ideo nomen istud eloquitur. Sed opinionem erroneam dicere DEUS non potest. Id quod patet, Matth. 7. v. 15.

v. 15. Ubi Salvator, seductores appellando Pseudoprophetas, genus (prophetæ) à communi vulgi salutatione desumit; sed τὸ formalè (τὸ ψεῦδος) à se, & de suo, addit.

LI. * 4. Marc. 6. v. 10. *Audivit autem hæc Rex Herodes.* Herodes Antipas hîc vocatur Rex, cùm tamen Tetrarcha solummodo fuerit. Resp. Non ex opinione vulgi Herodes hîc Rex dicitur; sed 1. ratione: quia Herodes & Regnum, & Majestatis jura, & magnificentiam Regiam habuit. 2. Ex Herodis præsumptione. 3. Ex populi delatione, seu adulatione potiùs. Non autem sequitur: Ergo ex opinione vulgi. Appellavit enim vulgus Regem; sed non, eum esse, credebat. Joh. 19. v. 12. *Omnis, qui se Regem facit, contradicit Cæsari.* Et v. 15. *Non habemus*, inquiunt, *Regem, nisi Cæsarem.*

LII. * 5. Hebr. 7. v. 3. De Melchisedeco dicitur; fuisse eum sine patre, sine matre, sine genere. In quem locum D. Wittichius, in probationem balbutiei divinæ, sic commentatur, Dissert. I. cap. 3. art. 8. *Utique*, inquit, *hæc quæ dicuntur de Melchisedecho non possunt secundum veritatem accipi; cum enim fuerit homo, uti probabilior fert sententia, & quidem Rex Salem, proculdubio etiam habuit suos parentes, genealogiam &c. sed tantùm secundùm cognitionem nostram, quod ejus parentes, &c. sint incognita.* Resp. 1:

Quis, per Melchisedechum, intelligi debeat, non jam meum erit disquirere. 3. Ex dubio argumentatur principio: quia, quis ille ἀπάτωρ & ἀμήτωρ fuerit, adhuc controvertitur. Itaque nihil omnino concludit. 3. Theologia occulta formaliter hîc non est argumentativa. 4. Moralis locutionis Exemplum afferre Autor debebat; hîc autem omnia Mystica. Objicies: cognitio genealogiæ est moralis. Resp. Sed hic mysticè adhibetur; non civiliter. *Obj.* Locutio porrò hæc secundùm nostram est cognitionem. Resp. Repugnat hoc Fidei Analogiæ: quia SS. in Melchisedeco Christum repræsentavit, Sacerdotem, Prophetam, Regem. Ideoque non secundùm nostram cognitionem; sed, secundùm Christum, & propter Christum, locutus hæc verba est: sine Patre, sine Matre. Omnia hîc occulta, typica, & mystica sunt. Cabala huc opus est. Omnia incerta. Principium petitur. Res per ambages agitur. In Labyrintho de tam famosa materiâ decernitur. Nihil ad rem. Verba itaque negligo.

* * * *

LIII. Summa eo recidit, LECTOR: ut Copernicæorum omnes Metaphoras, aliosque Tropos, ad erroneum Vulgi captum à Divino Numine accommodatos esse; &, ipsam rei veritatem haberi exinde non posse, statuant. Sed, si, quas adferunt, prius ex-

pen-

penderis rationes: ambobus ipsorum, quam circa Sacra fovent, sententiam pedibus fugies. Attende autem ad duo. 1. In Similitudine ad tertium, seu scopum, in quo comparata conveniunt. 2. Quomodo tertium illud convenientiæ de Comparatorum alterutro prædicetur? 3. In Synecdoche, Partis, Totius, &c. attende ad vulgi mentem, captum, & opinionem: an taliter rem intelligat, & suo consensu approbet. Sic in Tropo Metonymiæ Subjecti: an vulgus in iisdem falsam præjudicet opinionem? Expende, inquam, ista.

LIV. Exempli gratia, D. Wittichius, Dissert. I. cap. 4. art. 10, pag. 61. vulgaris locutionis exemplum subjungit, ex Scripturâ & vulgi Consuetudine. 1. *Scriptura S. sæpissime ita de corde loquitur, ut ponat illud vel pro ipsâ animâ, Psal. 24. v. 4. purus corde. Ps. 84. v. 4. Vel, pro voluntate Matth. 6. v. 21. Vel pro cogitationibus, vel pro sapientia & ejus sede Prov. 2. v. 10. Prov. 7. v. 7. Prov. 15. v. 15.* Resp. 1. Suntne ista vulgaris locutionis exempla? 2. Cum Dei verbum Vulgo proponitur, explicari sollicitè & applicari solent Tropi: ut eos intelligant: Verbum Dei eò commodiùs capiant, discant: & in suæ salutis usum convertant. 3. Neque erroneis vulgi opinionibus Tropi innituntur. Probatur id, Psal. 84. v. 3. Ubi canitur: *Cor meum & caro mea exclamant ad*

Deum vivum, Et Ps. 41. v. 2. *Quemadmodum glocitat cervus ad alveos aquaum : sic anima meà glocitat ad te Deus.* Nemo ex vulgo unquam, cor clamare, carnem exclamare, animam vociferari, dicet: ne dicam, sentiet; neque, carnem seu cor clamare, præjudicabit. Suspirare cor, dicunt quidem plebei; sed, os clamare, & bruti & pueri loquuntur.

LV. Do instantias. Primam. Si SS. secundùm erroneam vulgi opinionem loquitur cum dicit, cor hominis exclamare ad Deum: sequitur, quòd, quando dicit, Davidis os laudare Dominum, Psal. 34. v. 2. & Ps. 145. v. 21. Ps. 142. v. 2. dicat secundum erroneam opinionem. Secundam. Ps. 45. v. 2. *Eructat* (ebullit) *cor meum*, (animus meus) *verbum bonum.* In Poëtico isthoc Psalmi exordio τὸ ebullire, eructare, cordi (animo) tribuitur: impropriè, & valde catachresticè. Sed, dictum ne hoc de corde ad vulgi captum & erroneam opinionem? Neutiquam. Nullo modo. Neque ad captum, neque ad opinionem. Non ad captum: quia vulgus tales loquendi formulas concipere non potest. Neque capit: multo minùs loquitur; quin potiùs prolatas ab aliquo ridet, & autorem pro amente habet. Tenta: & audies. Non ad opinionem: quia vulgus, cor aut animam ebullire & ructus emittere, non præjudicat, neque præjudicare unquam po-

potuisse, credo; Contrarium potiùs.

LVI. 2. Ex Vulgo D. Wittichius, l. c. pag. 62. probat, ejusdemque loquendi consuetudine. Excerpam duntaxat ex operoso discursu: ne pagellæ meæ alienis turgeant operibus, & excrescant citationibus. Quod vitium à multis, tanquam ingeniorum mora & detentio; impedimentum, inquam, hodiè & meritò reprehenditur. *In Latina*, inquit, *lingua homo prudens, sapiens, vocatur Cordatus*: *Sic*, *Recordari significat in mentem aliquid nobis redire.* Cic. 1. Tusc. *Et Nasica ille prudens, bis Consul, corculum appellatus. In Lingua Gallica*, Apprendre par cœur: de bon cœur: il a eu le cœur aux lettres. *In Germanica*: Ein ding zu hertzen nehmen/ beherzigen.

LVII. Resp. 1. Vox, *Cordatus*, non simpliciter, seu Theoreticè, prudentem & sapientem; sed practicè, & secundùm virtutem, probè (virtuose, dicam) sapientem significat virum. Cor etenim, non intellectûs & sapientiæ, sed virtutis quodammodo sedes, &, si cum Avicenna loqui placet, *virtutis principium est*. Ut ita Cordatus non intelligens duntaxat; sed secundùm virtutem intelligens, sinceri & gravis judicii, probus, bonus & pius Vir sit. Innuit hæc vox Græca, ἔμφρων. At vulgus ista loquitur tantùm materialiter; non autem expendit: seu formaliter, secundùm vocis naturam, judicat.

LVIII.

LVIII. 2. *Recordari* aliquid, significat, in mentem aliquid nobis redire. Scilicet, latinâ derivatione. Quid verò ista ad vulgum, qui latinam non est doctus, neque callet, linguam. *Obj.* De latino id vulgo dicitur. Resp. Ubi autem iste est? Contradictio erit: quia omnes docti sunt, qui voces à primitivorum origine derivare, sciunt: nisi culinarios fratres, Obscurorum Virorum sobolem, aliosque tenebriones, vulgus appellare malis. Sed hoc supra ipsorum est captum: ut quos, ab immodicâ Prisciani insultatione, nullus retrahere rubor potest.

LIX. 3. Neque de Germanorum id vulgo dici potest: quia *recordari*, non est **beherzigen**; sed **gedencken.** 4. Gallos quod concernit: Dicunt illi, *il a eu le cœur aux lettres.* Sed Metonymiam in voce, *cœur*, intelligunt; quamvis, se tropicè loqui, non considerent, nesciant. Ast, nonne hinc veritatem excerpere possum? Quid hîc obscuri? Quod præjudicium? Quod judicium falsum?

* LX. Pugnatum est. TIBI Cordato, LECTOR, judicium, de vulgi præjudicio, relinquo & maximopere commendo. Ego desinam: ne, Veritatis Majestatem, tenuitatis meæ culpâ, obterere magis, quam promovere, videar.

PRO-

PROBLEMA XI.

An in Scripturæ Sanctæ locis, Terræ quietem & Soli motum astruentibus, Spiritus S. cum hominibus balbutiat, & captui sese eorum accommodet?

I. Copernicæi vehementer affirmant, & communiter. Ptolemaici, etiam lubenter, hoc illis in gratiam darent. Sed obstant observationes sequentes, quæ contrarium nobis persuadere volunt.

Prima est: Ubicunque, & quando Sanctus Spiritus, in aliquâ re nostro sese accommodans captui, rei dicit apparentiam; in alio veritatem rei & naturam exprimit. Si ergo in uno locorum Sanctus balbutit Spiritus; in quo igitur rei veritatem exprimit? Ubi, Terram moveri, expressè dicit, & ex animo? Nullibi locorum. Ex Hiobo, quod adducitur, nullius ad hanc probationem momenti esse, suprà ostendimus.

II. Secunda: Deus, in & pro rebus falsis concipiendis & asserendis, nunquam quicquam nostro concessit conceptui.

III. Tertia: In iis rebus cognoscendis, in quibus Spiritus S. nostro sese accommodat intellectui, nunquam ponderosis agit rationibus; quin imò ne ullâ quidem probat ratione illud, quod ad nos ebalbutivit. Contrarium ex Scripturis vix dabitur. Repeto; sed

ed contractius: ubicunque Sanctus balbuit Spiritus, nunquam ibi argumentatur. Argumentatio quippe Sancti Spiritus, est ipsa rei, secundùm veritatem, assertio. Magis dicam: ipsum juramentum est. Dicat iam aliquis, Spiritum S. veritati contraria asserere, vel juramento confirmare. Vix faciet quisquam; ego quidem non audeo.

IV. Quarta: Nunquam Spiritus S. nostræ condescendit imbecillitati in ipsâ re; sed in modo apprehendendæ tantum rei: eundem quippe apprehensioni nostræ adaptat & conformat. Si itaque mens Sancti hæc fuisset Spiritûs, statuere Terram moveri: fecisset illud, vel claris & expressis verbis; vel per similitudinem, humano captui faciliorem.

V. Distingues igitur, inter rem, & modum rei: inter accommodationem realem, & modalem. Hanc concedo, & probo. Illam: scilicet in S. Scripturis ad nostrum intellectum accommodationem realem, tantidem nego: donec certioribus ea evincatur rationibus. Ratio: quia nostra infirmitas seu incapacitas Deo non præscribit, ut ipse, rei veritate dissimulatâ, nobis propter eandem aduletur. Ergo, si quid condescendit, condescendit ad modum rei; non ad rem ipsam. Aliàs enim, eam à se creatam, negare deberet; quod Deus non potest: quia verax est. Determinatio igitur rei, non est negatio rei.

VI. Unum

VI. Unum, multorum vice, discutiam. Salvator, Luc. 22. 29. 30. ita loquitur : *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater, regnum : ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super Thronos, judicantes duodecim Tribus Israel.* Hîc, si alicubi, Salvatorem & Dominum nostrum benignè, & amicè sese infirmis illis Zebedæi filiis accommodare, legimus: aliter quippe illi Regnum Christi imaginati sibi sunt, quàm in re ipsâ erat. Mundani, scilicet, Regni illos phantasia urebat: quia tale futurum sperabant. Sed accommodatio ista ad captum, hallucinatio ista, balbuties ista, negatne, tollitne Regnum Zebedæis? Neutiquam. Modum concipiendi Regnum Cœli Rex correxit; non verò Zebedæis Regnum sustulit. Circumstantiam rei reformavit; non rem ipsam Fratribus denegavit.

PROBLEMA XII.

AN Spiritus S. in Sacris literis, in & de Philosophicis, philosophicè aliquando loquatur? Aff.

I. AGere Spiritum S. in Sacris suis literis incidenter, non ἀκριβῶς & ex instituto, de Naturâ rebusque naturalibus, concedit Wittichius, Dissert. I. cap. 7. art. 5. De Moralibus nemo inficiabitur. Quod vel maximè, Eccles. 1. probatur. Neque id volo, quod Spiritus S. ex institu-

to

to naturalia tractet: sed incidenter, per accidens, & ex occasione. Quod quidem Copernicæis concedi, altercationis evitandæ gratiâ, posse, censeo. Id quoque concedo D. Wittichio, Diss. I. c. 7. art. 11. Sed Copernicæis; sed D. Wittichio ego & in gratiam tantùm.

II. Rationem ego Wittichio dabo: quia principalis Scripturæ finis, non excludit alios minus principales. Quod quidem Cl. Schoockius, lib. 4. de Scepticismo, cap. 19. pag. 405. proposuit. *Quamvis* inquit, *non diffitendum sit, primarium Sacræ Scripturæ Scopum esse, ut nobis viam monstret ad vitam æternam; hic tamen principalis finis non excludit alios minus principales.* Item p. 406. *Vera explicatio rerum naturalium à Spiritu S. in Scripturâ proposita nequaquam avertit fideles à primario Scripturæ Scopo, sed illa eos ipsos convenienter ad eundem scopum dirigere potest.*

III. Quid verò ei D. Wittichius respondet, Diss. I. c. 7. art. 7.? Nihil ad rem, sed ad aliquid tantùm rei. *Nec primarium*, inquit, *nec secundarium Scripturæ finem esse reddere hominem in Physicis eruditum ostensum est.* Resp. 1. Distinguo, inter Physicam, & res physicas. Res physicas me Scriptura erudit, materialiter. Gen. 1. Ecclesiast. 1. Physicam autem disciplinam in Scriptura quærere, formaliter, quis tentabit? 2. Distinguo,

guo, inter scientiam formaliter, & distinctam; & scientiam, materialiter, & confusam. Nemo dixit: Scripturam posse hominem reddere in Physicis, distinctè & formaliter eruditum. Sed dixerunt multi: dico & ego, Scripturam posse hominem in Physicis reddere materialiter, confusè (non privativè-confusè; sed positivè, & comparatè ad scientiam strictam) & *certo modo* scientem: atque ita in particulari doctum. Unde tibi, quæso, constabit: Aquas supra cœlestes, quæ ultra & supra rakiam (expansum) sublatæ sunt, dari? Dices, scio, quia alite non poteris: ex Scriptura. Concludo: Ergo ex Scriptura de corpore isto naturali: *certo modo* (confuse-positivè) sciens, atque ita in particulari, doctus es. Porrò: unde earum formas & qualitates, ab elementaribus aquis distinctas, itemque finem cognosces? Clarius: unde Aquarum supracœlestium *τὸ Esse, distingui, & operari*, discendum Tibi erit? Ex Sacris: alium quippe fontem fodere nulla potest ratio. Iterum concludo: Ergo ex Sacris Scripturis, in particulari, edoctus de iisdem aquis es. *Hoc modo* de aliis etiam & pluribus Corporis naturalis speciebus, doceri potes, Eccles. 1. v. 6. 7.

IV. Cæterùm, finem Scripturæ secundarium esse rerum naturalium cognitionem, negat. Quod tamen, l. c. & eodem art.

art.7. in responsione secunda, mox concedit, præoccupando: *etsi*, inquit, *Scriptura per res naturales velit nos excitari ad Deum laudandum*, (si per res naturales in Scriptura propositas, ad Deum laudandum excitamur: Ergo, eas ibi legendo, &, *qualitercunque*, cognoscendo) *tamen non propterea cognitio accurata rerum naturalium inter fines Scripturæ reponenda est.* Nemo Ptolemaicorum, accuratam rerum naturalium cognitionem ex Scripturis hauriri posses dixit. Neque Cl. Schoockius; sed innuit duntaxat, l.c.p.406. veram explicationem & meditationem rerum naturalium à SS. *in* Scripturis proponi: adeo, *ut nemo dubitare ausit, quin de his ipsis rebus veras assertiones Scriptura proponat, quarum subsidio rerum naturalium cognitionem acquirere queamus, pag.*405. Quod idem sentire videtur celeberrimus Essenius, in Disp. de infall. fide Rer. Nat. in SS. Et alibi.

V. Sed luditur forsan in voce, *accuratum*? Ne igitur sine necessitate propter verba scindamur: discindamus vocem. Est autem τὸ accuratum, vel veri: vel stricti. Accuratum *stricti* argumentum est, quod conclusionem ex principiis certis, *necessariò* & formaliter, infert. Accuratum *veri* est, quod veram ex inadæquato principio vel testimonio infallibili educit conclusionem. Et hoc modo nostrum accipimus accuratum; non illo.

VI.

VI. Jam discutiat Lector, an *verè accuratas*, de rebus naturalibus assertiones, explicationes, meditationes proponere; & strictè *accuratas* proponere naturales, unum idemque sit? Non sanè verè-accuratè Spiritus S. flumina, & aquas supracœlestes esse, asserit: verè, accuratè easdem supra expansum esse, explicat; sed non accuratè asserit; non strictè accuratè explicat. Dabo aliud, & notius quidem. Verè Scriptura, flumina & aquas à mari oriri & in mari occidere, asserit: veram explicationem nobis & meditationem hujus rei proponit: etiam verè-accuratam: non strictè accuratam. Quomodo enim id fiat, non docet. Nondum igitur Cl. Schoockio responsum sufficienter est.

VII. Recurro ego ad Problema meum, quod rationibus asserere constitui. Dico igitur, *Spiritum S. aliquando philosophica proponere philosophicè*: *naturalia, naturaliter*: *moralia, moraliter*. Explicabo me: ne peregrinus mihi affingatur sensus.

VIII. Dico autem 1. *aliquando*, non semper: & quamvis rarò; tamen aliquando philosophatur. Dico 2. *philosophicè*: prouti Philosophus interdum loquitur, explicat, philosophatur, in genere; non verò, quomodo debeat loqui, explicare, philosophari: formaliter.

IX. Jam Problema aliquot demonstrara-

rationibus: 1. Accuratè & philosophicè loqui, est rem, secundùm formalem essentiam & nativam suam significationem, proponere & considerare: hoc est, sicuti in se & suâ est naturâ. At hoc facit Spiritus S. non in paucis. Ergo Spiritus S. accuratè aliquando & philosophicè de rebus naturalibus loquitur. Patet, Eccles. 1. v. 7. Ubi physicum Problema, atque ita & meum hoc, solvitur. Quæritur enim à Physicis 1. Unde flumina tanta ortum suum habeant? Respondetur, (non à vulgo, qui ineptissimus hîc est) à Spiritu S. quod ex mari ortum suum habeant? Annon verè & accuratè? an non philosophicè, & ad veritatem quidem, respondit? Quæritur 2. cur mare non redundet & superfluat, cum tot & tam vasta flumina in illud influant? Respondet: quia ex eo aquæ sese subducunt, ut iterum influant. Quid, Clarissime Wittichi, annon Tibi accuratè, ànnon philosophicè, annon sufficienter respondet. Sufficientissimè certè: quia Philosophus hodie, etiam accuratissimus, aliam & meliorem non dabit. Concludo. Sed me adhuc reprimam.

X. Dices: Ut accuratè & philosophicè respondisset, operæ pretium erat, modum quoque refluendi, per canales & Terræ colationem, ostendisse? Resp. Hoc tibi Spiritus S. meditandum reliquit. Dixi enim suprà, Spiritum S. non tractare naturales res ex in-

instituto; sed occasionaliter, & incidenrer. Non tamen exinde sic argumentaberis: qui occasionaliter & incidenter aliquid tractat, ille minus accuratè id tractat. Falsissimè enim hypothesin istam præsuppositum iri, ostendo ex eo: quia potest aliquis incidenter, & ex occasione, aliquid tractare; & tamen accuratè etiam. Intellige; secundum illum tractationis suæ modum, secundùm quem illud aliquid tractare sibi proposuit. Quod quia de Spiritu S. probavi: Ergo, Spiritus S. in Scriptura in & de philosophicis & naturalibus rebus, philosophicè, naturaliter, &, quod multum (verum tamen) est, verè accuratè loquitur. Evictum est.

XI. 2. Quicunque philosophicè res naturales distinguit: ille philosophicè etiam agit & loquitur. At Spiritus S. distinguit philosophicè res naturales. E. Probatur: Psal. 148. Ubi invitat creaturas ad laudandum Deum Creatorem. Si invitat. Ergo easdem contemplatur: atque ita ordine recenset, & distinctè. Incipit autem v. 1. ab excelsis cœlis: ubi Angelos & virtutes Dei; item Sydera & Planetas, & Aquas quæ supra cœlos sunt. Pergit, v. 7. ad Elementorum Systema, ubi Ignem, & Meteora, Terram, & in ea Montes, Plantas fructiferas: circa eam, ventos procellosos. Descendit postea ad Corpora animata, v. 10. bestias, &c. Definit in homine v. 11. 12. quem Politicè ad sacra invi-

vitat. Hæc Methodus Psalmi sacra, distincta, & ideo philosophica est. NOTA, quæso, BENE. (α) Illa, quæ Scripturæ Sanctæ, quatenus talis, propria sunt, non sunt Philosophiæ: neque Philosophica, (β) Quæ philosophica sunt, sint licet, in Scriptura, propria Scripturæ non sunt. Quia semine alieno suum consevit agrum. Philosophus itaque ea sibi vendicat: atque ita, tanquam sua, tollit.

XII. Alicubi 3. Spiritus S. Theologica philosophicè proponit; ubi per philosophicas Theologicæ res illustrantur: ut, cum ratio Status Regni Christi per rationem Statûs Regnorum Politicorum & Rerumpublicarum, explicatur, vel cum eo confertur; atque ita philosophicè, ut intelligi eò meliùs possit, proponitur. *Similia sunt* exempla, Matth. 20. de vinea, ubi Oeconomicè: Matth. 22. de Nuptiis filii Regis, ubi Politicè Regnum & Euangelium Christi proponitur.

XIII. Non tamen mihi, propter Problematis istius assertionem, Danæi sententiam imputari velim: non quippe ego Philosophiam ex Scripturâ formaliter educo; sed Philosophicas duntáxat res. Et hoc eo fine: ut ostendam, Spiritum S. in philosophicis rebus non tam cum vulgò, quàm cum veritatis ratione; non secundùm rei apparentiam; sed rei veritatem ipsam, loqui.

XIV. Ex

XIV. Ex hisce, quæ præmissa jam sunt, sequi immediatè volo: posse, nimirum, hominem Christianum ac debere, ex & cum Sanctâ Scriptura, in philosophica materia, philosophari, & philosophicè loqui: atque ita & philosophicas controversias TESTIMONIO SANCTO declarare: interdum etiam aliquo modo probare. Assertionis ratio est: quia Medium Terminum, unde possumus ac debemus, haurimus. Id quod Lipstorpio non etiam incongruum visum est, Exer. 6. §. 124. *Scripturæ*, inquit, *liber non est norma controversiarum Physicarum homogenea; est tamen infallibilis, secundum quam omnium aliorum scripta dijudicari debent ac possunt. Neque verò Physicus falcem in alienam messem immittit, si subjectum suum è Physica sacrâ, sive Christiana & Mosaica declarat, mediumque terminum, unde potest haurit. Illius enim testimonium ipsa divina veritas & sapientia est.* Quam sententiam ex Cl. Sperlingii suæ Physices Procemio Lipstorpius: & nunc ego, ex Præceptore meo, tanquam, & sanæ rationi & veræ pietati, congruam, desumsimus.

PROBLEMA XIII.

AN possimus in hujus materiæ Theoria sensum Ptolemaicum; in Praxi verò sensum Copernicæum, salvâ scientiâ & conscientiâ, retinere?

 I. Equi-

I. EQuidem me, in hocce Problemate ruminando, libenter exerceo. Et dignum quidem, quod actiùs expendatur, eſt. In tanta enim, & controverſiæ difficultate, & controvertentium aſperitate, & alterutrius diſcrimine, via eſt calcanda, ad faciliorem controverſiæ compoſitionem, & animorum exaſperatorum conciliationem. Sanè, qui præfixum expenderit Problema, illudque approbaverit:& Copernicæas demonſtrationes tanquam facillimas & methodicas, admirabitur:& Spiritui S. quomodocunque in Scripturis loquenti,cum Ptolemaicis piè aſſenſerit: & ſic,cum meliori animi ſui quietatione utraſque audiet, & pro opinione agnoſcet; non verò alterutram ſuſcipiet pro Scientiâ, & ſalutabit. Sed ad Probam.

II. Pro affirmativâ Problematis plures, & non contemnendæ, occurrunt rationes. Dico itaque: poſſe me in materiæ hujus Theoriâ ſenſum Ptolemaicum, in Praxi verò Copernicæum, ſalvâ veritate & conſcientiâ meâ, retinere, ex hiſce rationibus. 1. Quia contemplatio DEI Operum in literis Sacris nobis injungitur, prouti ſunt creata, Pſal. 8. 4. & 33. 9. & quidem cum admiratione ſumma. Sed Modus contemplandi nuſpiam oſtenditur. Conceſſit forſân eum benigniſſimus Pater parvulis ſuis: ut

ut eundem sibi ipsi, quàm commodissimè possent & vellent, efformarent. Si Modus contemplandi nobis relinquitur; tum concludit Problematis affirmativa.

III. 2. Considerare Opera Domini, & sic sydera etiam, possumus dupliciter. (α) uti in se sunt, uti *sibi* sunt, & uti creata esse dicuntur. Et sic cum Deo & loqui & sapere debemus. (β) uti NOBIS sunt: hoc est, prouti à nobis, vel commodiùs concipiuntur, vel utiliùs disponuntur.

IV. 3. Rem à posteriori considerare nunquam nos Spiritus S. non etiam Apostoli, nullus SS. Patrum, nemo DD. hodie prohibet. Quid autem, quæso, est, *rem à posteriori considerare*; quàm, concipere eam formalitate consequente: non autem semper intuitivâ? Explico. Formalitate eâ, quam ipso experimur facto: addo ego, formalitate, quæ nobis expedit.

V. 4. Quia assertio Copernicæa fuit hominis præconcepta Hypothesis; cujus hypotheseos principia, Philosophi postulata, non Philosophiæ, fuerunt. Et quis tam in Philosophia peregrinus est, qui non videat, Astronomos ex veris & falsis stupenda in Eclipsi prædicere? Fictos tamen orbes, non reales, non physicos adhibent, ut sunt: Æquator, Cancri, Capricorni, Polares, &c. circuli. Audi, quæ Mulerius, Copernici laudator & Amator, Inst. Astron. in Præfat.

M 2 dicat?

dicat? *Non ignoro*, inquit, *multa contineri in hypothesibus Astronomicis absurda & à recta ratione dissentanea. Sed quid moramur hypotheses, quæ mera sunt hominum figmenta, mundi systema analyticè resolvere frustra conantium.*

VI. 5. Siquidem ipsis quoque Copernicæis notum & receptum est, se verum Terræ motum exactè assequi non posse; & ideo, motum Terræ, in & ex circulis demonstrationibusque suis Geometricis provenientem, sequi, necesse habere. Dubio procul est, Copernicæos verum Terræ (quem statuunt) motum exactè cognoscere non posse. At hoc sine sacrilegio. *Exactè*, cum dico, intelligo motum cum omnibus adjunctis, circumstantiis, & speciebus motûs. Etiam quippe alicujus Observationis, & effectus manifesti, non statim obvias nobisque cognitas habemus causas.

VII. 6. Quia Copernicæi etiam Astronomi antiquis Ptolemaicorum formulis, ab apparentiis & præjudiciis sensuum derivatis, utuntur non tamen propterea illa præjudicia sua faciunt, Wittich. Diss. c. 1. art. 8.

VIII. Dices: Sensum Ptolemaicum retinere in Theoria non possumus: quia Scriptura obscurè nimis vulgi opinionem declarat, cum aliquid, imò totum ferè, humano concedat captui? Resp. Esto: concedat. Non tamen ideo declarat; sed clarè tan-

tantùm innuit: non demonſtrat ratiocinativè; ſed nudè ſolùm aſſerit & rotundè: iiſdemque verbis, quorum vis & ſenſus emphaticus eludi tam facilè haud poteſt, uti quidam præſumunt,&, hallucinationem in iis latere, putant. Sed putant tantùm: quia demonſtrare illud ſufficienter, etiamſi maximè cupiant,non poſſunt.

IX. Quia utriuſque Partis Aſtronomi, ſive Terram quieſcere, ſive Cœlum ſuppoſuerint, eadem omnino deducunt motuum phænomena. Multorum hoc rationibus, & experientia, & teſtimonio aſſertum eſt. Mathematicorum Aſtrophilorum unicum hoc eſt munus, ut, ex quopiam quieſcente poſito, accuratiſſimas motuum deducant apparentias, in corporibus cœleſtibus. Legantur, quæ D. Lanſbergius, ſuarum in diurnum & annuum Terræ motum Commentationum initio habet, verba: *Licet enim,* fatetur, *in Sphæra Copernici & Ptolemæi,Solis Terræque contrarius ſitus ac motus ſit; tamen non magis inter ſe differunt, quàm via quæ* ATHENIS THEBAS, *ab ea quæ* THEBIS ATHENAS *ducit. Ut enim Athenis Thebas iter facientibus, contrarium quidem ſit iis, qui Thebis Athenas, ſed viâ eadem: Ita ſphæra Ptolemaica & Copernicæa inter ſe quoad hypotheſes contrariæ, OSTENDUNT NIHILOMINUS EASDEM IN COELO AP-*

PARENTIAS. Caveat ergo benevolus lector, ne in errorem incidat quorumdam virorum celebrium nostri temporis, qui ad modum temerariè sibi aliisque persuasere, SPHÆRAM COPERNICI ALIAS A PTOLEMAICA IN COELO EXHIBERE APPARENTIAS.

X. 8. Cur denique Problema non affirmarem; cùm famosa ista & antiqua de Telluris motu controversia, neque è Scriptura, neque Astronomiâ, dirimi possit? Non ex Scriptura: quia remotivè tantùm, positivè nunquam, probat. Omnia, vel simplicitate ipsâ planiora, ad erroneam hominum vel opinionem, vel apparentiam, vel captum restringunt. Rationem interrogati, respondent: multoties Deum tropicè esse, & ad mentem humanam, locutum. Ergo & ibi. Particulare probatur ex particulari; & sic nihil minùs, quàm Telluris motus, probatur.

XI. Non etiam famosa hæc quæstio ex Astronomia sufficienter demonstrata adhuc est. Patet id 1. Copernicæi enim, dum in Astronomia probare Terræ motum volunt; supponunt ipsam moveri, aut Cœlum, & sic Solem, quiescere. At principium sic petitur: quod tamen controversum est. Ergo ex Physica de vero Telluris vel Cœli motu, est argumentandum: in quâ eosdem esse quoque vehementer hallucinatos Joannes

nes Baptista Morinus, in Famosi Problem. solut. c.8.probat. 2. Mirum est, quod Copernicæi rationes pro Telluris motu tam parcè, ambiguè etiam, proferant. Ubi enim Telluris motum argumento firmari existimamus: Excentricitatem probari deprehendimus. 3. Etiamsi Copernicæi de diurno Telluris motu concordes inter se sint; de ejusdem tamen loco inter eos adhuc disputatur. Vide, hac quid de re habeat citatus Joannes-Baptista Morinus, in famosi, de Telluris Motu vel Quiete, Problematis solutione, cap. 7.pag. 24.

XII. Quia certam nondum ἀπόδειξιν & scientiam utrimque sibi pollicet, Ptolemaicis Copernicæi, & Copernicæis Ptolemaici ex suis Systematibus, ausi sunt. Clarissimus Lipstorpius, acerrimus Copernicæi Systematis propugnator, post profligatas Ptolemaicorum rationes judicium atque *Conclusionem* Lectori committit, lib. Copern. Rediv, cap. 1. n. 18. *Porrò*, inquit, *stabilito vel supposito uno horum systematum, rationes, quæ ad illud evertendum vulgo afferri solent, examinabimus, quibus, ut Deo volente sperare jubemur, profligatis, judicium atque conclusionem Candido & Benevolo Lectori committemus.* Candidè sanè & modestè, rationibus rei controversæ convenientibus munitus, decisionem declinat; quanquam aliàs, & alibi, parùm sibi temperet.

XIII. Modestiùs paulò stupendus ille Academiæ Pisanæ phœnix, Galilæus Galilæi, Systema Cosmic. Dial. 3. pag. 263. *Tu inde,* inquit Salviatus, Collocutor, *selige quicquid judicium tuum tibi persuaserit.* *SIMPLICIUS. Ego me minimè idoneum agnosco, qui tanti momenti decisionem suscipiam. Et quod ad meum judicium, neutrarum ero partium; eâ spe tamen, futurum esse tempus, quo sublimioribus, quàm humani isti nostri discursus sunt, contemplationibus illuminati, mentem tenebimus claram, & ista caligine liberatam, qua nunc illa obfusca tur.* SAGREDUS. *Optimum & Sanctum, quod Simplicius sequitur, est consilium idemque dignum, ut ab omnibus recipiatur, utpote, quod à summa sapientia & suprema auctoritate derivatum, solum tutò sequi & amplecti licet. Sed tamen, quousque humano discursu penetrare permissum est, CONTINENDO ME INTRA TERMINOS conjecturarum ET RATIONUM PROBABILIUM, aliquando audaciùs Simplicio profitebor, ex omnibus, quas unquam audivi, subtilitatibus nullam rem æquè miram occurrisse intellectui meo, & quæ mentem meam constrinxerint arctiùs* &c. *quam duas illas conjecturas, quarum una sumta est à stationibus & retro gradationibus quinque Planetarum; & altera à mirabilibus istis motionibus Macularum Solarium*

rium &c. SALVIATUS. *Ego mihi hoc non ſumo, ut rationibus illis vel concludentium, vel non concludentium titulum tribuam: ſiquidem, ut alias dixi, non hoc mihi propoſitum fuit, quidquam de tam ſublimi quæſtione determinare; ſed ſolummodo proponere rationes illas phyſicas & aſtronomicas, quæ pro utraque Hypotheſi à me produci poſſunt, determinatione aliis relicta: quæ tamen ad poſtremum ambigua remanere non poteſt. Cum enim neceſſarium ſit, ut harum Hypotheſium altera vera ſit, & altera falſa: impoſſibile eſt, ut (intra terminos tamen humanæ doctrinæ conſiſtendo) rationes pro vera parte adductæ non æquè concludentes, quàm quæ contrariæ ſunt, variæ & inefficaces appareant.* Hæc Galilæi, Viri Magni; at, quanta modeſtia eſt!

XIII. Nova hæc Tibi, Lector Optime, aſſertio, nova eſſe ratio videtur. Plura paucis dicam, Hypotheſis iſta mea intercedens, Copernicæos inter & Ptolemaicos, forſitan utilior erit. Mihi quidem, multoties cum nonnullis doctiſſimis Viris & Juvenibus ſententiam, hac in materiâ, conferenti, multùm profuit. Poſt collationem quippe tam amicè, & ſummâ cum animi quietatione, ab invicem ſemper diſceſſimus: quia ſuam cuique Hypotheſin dedi, conceſſi, tanquam Hypotheſin. Utrique ſuas laudavi demonſtrationes; ſed quæ ſcientiam, ſtrictè

& philosophicè sumtam, non concludere possent. Et sanè, quis novos ligones, ad effodiendam ex oppleto Demosthenis puteo Veritatem, fabricare nos prohibuerit?

XIV. Producam Tibi, Excellentissimi Medici & Mathematici, D. Nicolai Mulerii, Groeningæ, dum viveret, Professoris ordinarii, testimonium. Hic, in famosâ hacce controversia expendendâ totos viginti quinque annos insumsit. Sed idoneam, à Peripateticorum recedendi sententiâ, invenire rationem haud potuit. Ita autem de se scribit, lib. I. Instit. Astron: in Præfat. ad Lectorem. *Erudita*, inquit, *& acris, sed sine odio, contentio hæc est. Verum enim verò postquam rationes argumentaque utriusque sententiæ per totos viginti quinque annos diu multumque examinavi, nondum cognoscere potui caussam idoneam & satis validam, quæ me à sententia à tot tantisque viris approbata recedere cogeret.* Hæc ille. Causas quidem adducunt multas Copernicæi; sed, an ullam idoneam, viderint Astronomi Peripatetici. Ego, quin in Theoriâ Copernicæum, in praxi verò Ptolemaïcum sensum retineamus, nullam obstare causam, video.

XV. Consultum itaque utrique erit Parti per Problema meum, quod Copernicæo suam, in Theoria; Ptolemaico suam, in Praxi, tribuit Hypothesin. Neque est, quod

quod Ptolemaici ſuam Copernicæis invideant Hypotheſin. Illi namque motuum cœleſtium theorias ex ſuis hypotheſibus, quoad fieri potuit, accuratè deduxerunt: quô perfectius nihil expectari ab Aſtronomo poteſt.

PROBLEMA XIV.

AN Terræ potiùs, quàm Solis motus, ex Sanctis Scripturis, oſtendi poſsit?

I. RESp. Diſputatur πειραστικῶς, & quàm acerrimè, à Partibus. Si itaque diſputandum eſt, de Sole motum affirmabimus. Terræ eundem denegabimus: quia, non oſtendi tantùm ex Divino Codice non poteſt; ſed maximè oſtenditur. Oſtendit hoc ſuorum contrarium Operum teſtis, Creator, Joſ. 10. Eſa. 7. Eccleſ. 1. Matth. 5. Juvat porrò pro Solis motu argumentari:

Cujus eſt menſurare & diſtinguere tempora; illius etiam eſt moveri.

At Solis, cum Luna, eſt menſurare & diſtinguere tempora.

Ergo Solis cum Lunâ etiam eſt, moveri.

Majoris connexio obviam cuivis eſt: quia temporum menſuratio atque diſtinctio fit per motum. Minor eſt Creatoris. Limitabit, ſcio, Copernicæus Philoſophus Majorem, hoc modo: *Cujus eſt menſurare & diſtinguere tempora*: ſcilicet; ſubjectivè &

formaliter; non verò objectivè, & materialiter: *illius etiam est moveri.* Resp. 1. Bona est distinctio. Applicetur, Connectatur. Distinctè etiam dico, aliud esse, motum; aliud distinctionem motûs. Motum ego in Sole formaliter esse & subjective, exinde probo: quia, mensurare & distinguere tempora, ipsius officium est. Distinctionem verò motûs in Sole objective; in homine formaliter esse, palam est. Sed non Tibi ideo parmam resigno: nondum quippe licet Tibi concludere: Ergo Sol non movetur: quia objectivè mensurat.

II. Do Instantiam. Horologium est subjectum motûs; distinctio autem illius, formaliter, in hominis intellectu est. Sed hæc instantia Tibi, ab Ente artificiali ad corpus naturale, parùm fortè instabit. Accipe adæquatam. In Magnete vis motrix & attractiva est, subjective & formaliter; in intellectu tantùm objectivè. Sed motûs & tractionis magneticæ consideratio, distinctio, & usus, formaliter in Hominis est intellectu. Neque tamen procedit; Ergo Magnes formaliter non trahit.

III. Regeres. Solarium horas distinguit, & mensurat: neque tamen movetur. Resp. Simile hoc valde est dissimile. Applicabo. Quemadmodum Solarium mensurat horas: ita Sol. Ineptè: alienè. Regestionem retorqueo: Solarium, s. Horarium sciotericum distin-

distinguere tempora proprie non posse; sed homo, per duo illa sibi opposita media, Solem & Tabulam, istud præfat. Solarium purè objective, se habet. Potiùs quippe de Sole mensuratio ista diceretur: utpote, qui, *in respectu ad Tabulam*, causa efficiens quodammodo est: quando radios in objectam Tabulam, ejusdemque gnomonem, spargit: ut ita, umbram præbendo, temporis horas nobis distinguat. Nihil itaque instantia proficit, quam aliâ instantiâ pello: Tabula picta, est subjectum colorum sibi impressorum. At non est subjectum distinctionis colorum: quia intellectus ἐνέργεια est.

IV. Porrò excipi à quoquam hîc potest: Mosen ad captum vulgi taliter ista descripsisse, & secundùm opinionem ejusdem. Resp. Consuetudo, S. Scripturæ loca (quatenus hîc) ad erroneam vulgi opinionem detorquendi, apud Copernicæos, in ipsam omnino jam abiit naturam. Adducas enim decem: si plura maluerit, viginti: addas porrò, triginta Omnia, secundùm erroneam vulgi opinionem ejusdemque captum, esse dicta & scripta, audies. Inde venit, quòd verba quàm plurima Ptolemaici audiant; sed quæ mentem eorum non exsaturant.

V. Negotiaque, propter vulgi, vel captum, vel opinionem ista esse scripta. Ratio 1. quia ex Sancti Spiritus mente scripta verba

verba sunt: quæ Altissimi mens ex Divinarum literarum sensu petenda omnino est, & evincenda. 2. Quæ Moses scripsit, Deus dixit. At Deus edixit Soli, ut tempora mensuraret atque distingueret. Et per motum quidem diurnum: quod ex Gen. 1. v. 14. patet: *Dividant diem, ac noctem.*

VI. 3. Cùm Creator O.M. Soli & Lunæ, jam memoratum, imperaret officium: aut, secundùm suam mentem; aut, secundùm nostram locutus tum fuit; aut aliis creandi & imperandi verbis, in Mundi Luminarium productione, usus est? (α) Non secundùm nostram mentem, vel opinionem: quia tum nondum eramus. (β.) Deum aliis in creatione; quàm quæ Moses consignavit, usum esse verbis, incertum valde est. Arduum erit affirmare. Ego non ausim. Si enim vel maxime negarentur literarum elementa, & dictiones; sensum tamen verborum atque vim negare, quisquis, quâcunque id tentaveris ratione, nunquam poteris Et, novam hîc introducere Controversiam, novumq; erigendum esset Problêma: si & occasio & necessitas id me poscerer.

VII. 4. Quæ, porrò, ratio probabit? quæ religio admittet, quod inferri ex Copernicæorum SS. ἑρμηνεία potest? Infero, Si Deus, Soli & Lunæ mensurandi-officium edicendo, secundùm vulgi locutus est captum & opinionem: sequitur, DEUM Crea-

Creatorem in verbis creationis æquivocè, vulgi causâ, esse locutum. At (α.) sacrilegium ista, vel cogitare, est (β.) Deinde: ineptum est atque Contradictio, dicere: Deum vulgi captui sese accommodasse, & tamen æquivoce, dissimulatâ rerum veritate locutum esse. (γ.) Sic nos vel Consiliarii, vel auditores, Creationis verborum, inter fuissemus: eadem, opera Dei tum in Adamo nondum intelligentes. Quid non ex tua Domina tandem facis ô Famula, Ratio? Vix dum impraegnata, jam superbis, jam insultas Dominæ. Quare in solitudine erras? Ejecta es. Revertere ad Dominam tuam, & humiliare sub manu ejus, Gen. 16. v. 9.

VIII. 5. Et, dato, quod nondum conceditur: Deum hîc quoque condescendisse hominibus negandum tamen id de vulgo erit. Vulgus quippe, non Homines, in genere; sed tantùm Hominum pars, in specie, est.

IX. 6. Adhuc argumentor. Aut sese Deus accommodavit nobis Integris; aut Corruptis. Si integris adhuc? Falsum est, nos Opera Dei recens tum creata perfectè, & secundùm formas ipsorum, non intellexisse. Contrarium in primo Mundi Philosopho, Adamo, qui abstrusissimas quoque rerum formas indagavit, naturasque cognovit, Gen. 2 patet. Si Corruptis? Detur ratio: quare, aut quomodo fieri istud debuit, vel saltem potuit; cum nondum

con-

conditi ad DEI imaginem, ne dicam, corrupti in eadem, essemus? Privatio præsupponit habitum; non verò præcedit. Erudiri cupio.

X. 7. Si Deus condescendit Vulgo, cùm suum Soli ediceret officium: sequitur, Deum, cùm *Lunæ*, mensurare & distinguere tempora, præcepisset, cum vulgo quoque balbutiisse. Qualiter enim mensuratio de Sole, taliter de *Luna* quoque dicitur. Et contra. Nullam dabis diversitatis rationem. Dant tamen Copernicæi, dicentes: Lunam mensurare tempora motu reali; Solem apparente. Vide Wittichium, *Diss.* II. cap. 6. art. 9. Sed hoc est colare culicem. Vix dum intentatâ plagâ, aufugere. Sic saluti consulitur. Ædificemus nobis asylum: quò, rationibus profligatis, nos per tria, per decem saltantes, recipiamus: Ergo Deus ad erroneam vulgi opinionem locutus est, argumentantes. Cecidit bos: acue cultrum.

* * * * *

XI. Ista dum depropero: Ecce incido in *peculiarem, de Quotidianâ Telluris Revolutione, Exercitationem* D. HENRICI NICOLAI, Theol. & Phil. in Illustri Elbingensium Lycæo, Professoris: quam mihi Nobilissimus D. Lucas de Linda, Lugduni Batavorum communicavit. Quàm dolui, non paulò ante tractatum huncce mihi legere contigisse, quàm Examen meum typis de-

scri-

ſcriberetur. Quicquid tamen eſt, eidem quoque communico.

XII. Quod ad ipſius attinet, ſententiam: eam in Exercitat. Theol. Phil. Mathem. theſ. 3. aperit. Non autem ſe purè Copernicæum dicit: quia motum Terræ ex toto non tribuit, ita, ut Solem immobilem & Univerſi Centrum faciat, more Italorum, Germanorum, Gallorum, Anglorum, Belgarum Mathematicorum. Sed inter Semi-Copernicæos recenſeri mavult. Qui, eleganter moveri Cœlum, moveri Terram, ſtatuunt. Ita quidem: ut à motu Terræ, & additamento Solis, ſit Dies; à motu Lunæ, Menſis: à Solis motu, Annus, &c. ſint. Cui ſententiæ Semi-Copernicææ neque ego in Mathematicis meum ſubtraho calculum; ſed Semi-Copernicæis, quatenus Sancto in Scriptura S. præſcribit Spiritui, ejuſque verba ad placitam detorquent Hypotheſin, aſſentiri, ſalva pietate & reverentia, in æternum non poſſum.

XIII. Pro Terræ autem motu ex Sacris argumentatur literis. Argumenta ejus Aſteriſco notabo. * 1. Sic l.c.th.8. p. 12. exorditur: *His ergo, ut minus idoneis probandi mediis ſemotis, propria argumenta ad rem probandam adducemus. Primum ab etymologia nominis Hebræi in terra ſumimus*, Reſp. 1. Pro tam famoſa & ponderoſa Controverſia defendenda, (ſi cui eam ad San-
ctam

ctam examinare normam allubet) non probandum; sed demonstrandum: &, non Dialecticè; sed Apodicticè argumentandum erat. 2. Argumenta, quæ tantùm probant, non sunt *propria*, nec demonstrativa: quia remota probatio non est argumentativa. 3. Idonea minùs argumentatio, à Nominis Etymologia, petitur: partim, quia significans suo significato non adæquatur semper: partim, quia incerta plerumque & fallibilis est.

XIV. * 1. *Nomina*, inquit, *rerum Hebraica ex intimis rerum naturis sunt deprompta, easque denotant. Patet ex prima nominum Hebræorum impositione animalibus ab Adamo facta, Gen. 2. v. 19. 20. Unde sapientia ejus elucet, quòd convenienter rerum naturis nomina indiderit, eoque intimas earum rationes optimè perspexerit*, &c. *Ergo & nomen Hebræum terræ, Æretz, naturam ejus notabit. Sed hoc est à Rutz, cucurrit, discurrit. Ergo aliquam ad motum aptitudinem in ea esse oportebit. Consequenter motus ei non ita absurdè adscribetur*

XV. Resp. 1. Hebraica rerum nomina ex intimis rerum naturis sunt deprompta, easque denotant. Verum hoc est. Sed, an simpliciter verba res denotent, & an semper, Philologis cognoscendum relinquo. 2. Adamus animalibus, convenientia naturis eorum, nomina imposuit. Ergone omni-

omnibus? Ergone, Terram moveri, Solem verò ſtare, dixit? Conclude, ſi audes. Non audes: quia Hypotheſis Mathematica primo ſic affingitur Homini. Et nullo jure. Dubia omnia ſunt. 3. Sed, Terram quoque אֶרֶץ nomine donaverit Homo. Ergone à רוּץ cucurrit, diſcurrit, Terræ nomen derivavit? Ambigitur valde. Et dum de iſtis ambigo, libros & Amicos, Philologos eximios, adeo & conſulo.

XVI. Diſco autem ex illis: אֶרֶץ non poſſe à radice רוץ venire. Ratio: quia non habet ſub prima radicali ר vocalem longam, juxta Regulam Baldovii, pag. 39. Can. 99. Secunda radicalis ו in Conjugationibus, primâ & tertia, & nominibus ex iiſdem formatis abjicitur, ejuſque punctum ad primam radicalem rejicitur, Can. 100. Abjectæ ו nota eſt vocalis longa ſub prima radicali immutabilis. Jam, quia Autor nomen אֶרֶץ deducit à radice, habente ſecundam radicalem ו, puta רוץ: ideoque habere etiam ejectionis ſignum debebat, ſub prima radicali ר, nempe vocalem longam. Et, quia hacce deſtituitur, ſpuria quoque illa erit deductio. Quod autem aliquando ſub א ſit kametz, ut in הָאָרֶץ illud eſt, vel ob ה emphaticum, vel accentum diſtinctivum, *Athnach*, *Silluk*, *Sakephcaton* & *Rebbia*, qui ֶ penultimæ Syllabæ mutat in

in kametz. Ideoque rectiùs, ut Buxtorfius in suo Lexico annotat, אֶרֶץ venit à radice רָצַץ, quasi terra pedibus teratur, & calcetur. 2. Et dato, *Æretz* derivari à *rutz*, nondum tamen demonstratio. Terræ motûs est. Dicere quippe possum: quòd Terra dicatur à cursu, propterea, quia locum præbet cursui animantium. Alii dicunt, ab eo dici, quia animantia super terram currunt.

XVII. 3. Tenendum & hoc est: Chaldæos Terram vocare ארעא, & ab ea voce deducunt ארעיתא, hoc est pavimentum, solidum. Probabilè igitur est, Ebræam quoque vocem אֶרֶץ ejusmodi esse significationis, ut pavimenti soliditatem atq; sic immobilitatem innuat. Tantum abest, ut quis Terræ motum hinc derivet, ut contrarium potiùs sequatur. Nihil evincitur. Evigilabunt forsitan Doctissimi Viri, Sanctam Scripturam, à talibus contorsionibus, & coactis prætensionibus vindicaturi. Quam velim!

XVIII. * 3. Argumentum, à communi elementorum proprietate, deducit. *Omnibus*, inquit. *θ.* 10. *elementis motus aliquis assignatur, aëri, igni, aquæ. Ergo soli terræ negari non debet. Nam æquè hæc Elementum est, ac illa. Non autem motus sursum aut deorsum, aut lateralis terræ assignari potest. Ergo circularis.* Resp. 1. Argumentum hoc non est argumentum; sed argumenta-

tio:

tio: quia dialectica. 2. Argumentum hocce non est apodicticum: quia ex principio certo non promanat. 3. Πρῶτον ψεῦδος argumentationis est: *Motum esse proprietatem omnium naturalium corporum*, secundùm Aristotelem 3. Phys. c. 1. seq. Et l. 8. c. 1. & 2. de Cœl. C. 13. textu 86. Resp. Motus est proprietas omnium corporum naturalium: Intellige, motus in genere; vel naturalis, vel violentus: vel per se, vel per accidens; seu ex parte corporis. Negatum à multis est, affectionem corporis naturalis esse motum duntaxat formalem, intrinsecum; & non quietem simul. Sperling. Instit. Phys. lib. I. cap. de Affect. Corp. nat. 4 Attende, LECTOR, ad Autoris vocem, *aliquis.* Omnibus, elementis motus *aliquis* assignatur, Ergo soli terræ negari non debet? Resp. Plus est in Conclusione, quàm ex præmissis educi potest. Namque in Majore præsupposuit *aliquem* elementorum motum, in genere; in Conclusione Terræ circularem & systematicum, in specie decrevit motum. 5. Quod autem excipitur, ex Philosopho, l. c. *Motum esse proprietatem corporis naturalis.* Nihil est: Non enim ideo concludes; Ergo motus naturalis: ergo, universalis, seu systematicus: ergo circularis Terræ proprius est. Genus cum suâ specie non reciprocatur: quia se eidem formaliter non communicat; sed ma-

teria-

terialiter tantùm. Sufficiet ergò ei motus aliquis, particularis, contingens.

XIX. Corporis naturalis in genere affectiones sunt, Motus & Quies. Negat autem hoc, Clarissimus Vir, ex ratione, th. cit. *quia quies privatio, & sic imperfectio quædam est.* Resp. 1. Quies *per se* non est privatio: sed in subjecto duntaxat, motu privato. 2. Ineptè philosophantur quidam, docentes: Motum esse perfectionem; Quietem, imperfectionem. Ineptitudo patet ex illatione ista: *Corpus quiescens torpet.* Et, quando quietem vocant otium, non statim otiatur Terra; etiamsi quiescat. 3. Imò, rigorosè loquendo, Terra non quiescit: quies enim est affectio succedens motui, in subjecto ad motum & quietem idoneo. Terræ itaque negandus potiùs motus; quàm eadem Quies (strictè sumo vocem) ei tribuenda est. Cæterùm, λογομαχία hæc tantùm est. 4. Majus dicam. Etiam Quies Terræ actus est; atque ita, quando Terra actu quiescit, naturæ suæ actum continuat. 5 Dicere itaque hocce possum: modo: *totam* Naturam in actu esse, inque eo perfectionem suam obtinere. Non quippe Motus & Actus convertuntur.

XX. 6. Nihil itaque est, quod queratur Autor. l.c.p.16. *Terram, præcipuum naturæ corpus, & magnam animantium matrem ac nutricem, in æterno otio constitui.* Resp. 1. Fal-

Falſum ſupponitur : (α.) & corpus naturale immotum quieſcere (β.) quieſcendo otiari. (γ.) corpus non motum non agere : ſed otiari. 2. Repugnat naturæ otium? Scilicet, quatenus eſt quies, ſeu ceſſatio actûs *naturalis* : &, quatenus privatio eſt. Privatio quippe eſt rei *naturalis*, in ſubjecto, *adæquato*, abſentiâ. 3. Moralis potiùs otii & pigritiei damnatur. Sed injuriâ. Nequaquam alma Mater otiatur Terra. Producit animalia excitat vegetabilia : traducit ignes: tranſmittit aquas : generat & trajicit ventos, & quæ non præſtat. Eſtne hoc, otiari? Movetur quoque particulariter, in ſuis partibus. Eſtne hoc, torpere? 4. Quod ſi, ex abundanti, inferre ſic placet : Mater provida ſeſe ad ignem cum liberis ſuis, calefaciendis, obvertit. Atque ita, Terra, animatium mater, moveri potiùs ad & circa Solem, quàm Sol circa Terram, ſtatui debet. Reſp. Provida & pia mater non ſe, vel ſuum ſinum ſed quos in ſinu fovet, liberos igni obvertit : atque ita calefacit. Hæc Matrum piatum στοργὴ φυσικὴ eſt Sed hæc aliena ſunto.

XXI. * Quæ verò ſuprà dictus Clariſſimus Autor, de Magnetica circumrotatione, ad Telluris aliquem evincendum motum, adfert : admiranda, & alicujus ſunt ponderis. Deſumit autem, Theſi 11. pag. 17. tertium argumentum, ab intimâ magneticâ

câ terræ naturâ, ac compaginatione, talè. *Corpus*, inquit, *magneticum ad motum Circularem aptissimum est.* &c. *Sed Terra in intima natura sua est corpus magneticum, quod fibræ magneticæ per totum telluris corpus diffusæ docent. E. ad motum circularem aptissima.* Resp. 1. Totum concedi potest argumentum. Corpus enim magneticum ad motum aptissimum est. Terra quoque, propter rotunditatem ejus externam, & virtutem Magneticam internam, occultam. Sed sic & ovum ad motum aptum est. Jam quæritur, an per & ex se moveatur mobile illud? 2. Quæro etiam: utrum à dispositione ad motum argumentari ad actum motûs, seu motum ipsum, liceat? Dubito: quia Magnetem, ut ad suos tendat polos & moveatur, super obelisco esse, necessum est. Atque ita motus ille magneticus in aliquo fieri subjecto debet.

XXII. Cæterùm, quod asseritur: Terreni Orbis partem majorem, quantum lustratus ille, fibris magneticis passim intertextam esse: ad ea Joannes Baptista Morinus prolixè respondet, in Famosi Problematis solutione. Ego autem neque hujus responsionem, neque illius objectionem facio meam. Mirari quippe naturæ istius terrenæ secreta, eaque diligentiùs usurpare, nos decet potiùs; quàm de iis altercari.

XXIII. Miror valde Terræ naturam. Quò

Quò enim propiùs Terra ad polos accedit: eò magnetica magis, & fere totus est Magnes: id quod à Gilberto, Cabeo, Kirchero, de Magnete, esse demonstratum, constat. Consulantur. Porrò: moveri dicitur Magnes; non, quod in se moveatur, ferrum trahendo, sed tanquam forma assistens, corpus ejusdem secum naturæ attrahit, sibique unit. Et quidem polaris Magnetis motus certus est; sed non, nisi motus axi innitatur, moveri ad polum potest.

XXIV. * Hæc & alia physica, Sancto reclamare Spiritui, dicuntur. Sed dicuntur. V.g. Dicunt quidam Copernicæorum: motum tam vastæ molis Solaris, & pernicissimum quidem, impossibilem: atque ita Scripturam realiter de eo intelligendam non esse. Resp. 1. Eum neque Solis naturæ impossibilem: quia Soli eum Deus indidit. **Neque Naturæ**: quia forma ejus intrinseca est, moveri ex unâ circuli vicinia in alteram: sive id fiat à cœlo deferente, sivè à propriâ formâ. Quomodocunque. Si hæc Solis est natura: præstare ei tantum, quantum eum Deus jusserat, difficile haud erit.

XXV. 2. Terræ potiùs motus ex hocce negandus erit principio: quia Terra est gravis & elementaris. Dices. Motus iste naturalis ipsi est: ideoque eam non retardat. Dico etiam ego: neque Solis motum, si asseratur, supernaturalem futurum con-

tra D. Lansbergius, Comm. in mot. Diurn. Contr. 1. p. 8. ista excipit. Ego ex eadem quoque me dealbo fideliâ, & infero; Ergo, Octavam Sphæram, unius horæ spatio, 231785296912. Mill. Germ. conficere, absurdum non erit, ex principio isto: quia motus iste naturalis eidem est. Nihil concluditur.

XXVI. Recurritur communiter ad rationem naturalis compendii: quòd Natura per compendium agat, non ambages. Compendiosior autem Terræ circa Solem, quam Solis circa Terram, est motus. Resp. 1. Naturam suo ordine omnia peragere, certum est. Sed ordo ille, estne compendium? Nego simpliciter: natura enim suum habet cursum & ordinem; non compendium, non ambages. 2. Natura neque compendium, neque ambages habet; ideoque nec per ambages, nec per compendium, *propriè*, agit, sed secundùm suum *cursum*. 3. Docuerunt autem multi hactenus Philosophi: Naturam nihil frustra, atque ita nihil per ambages, facere? Resp. Verè illi docuerunt; sed nos non rectè eorum percepimus doctrinam. Docuerunt: Naturam suo moveri cursu: suâ ferri intentione. Sed quid hoc ad compendium? Quid ad ambages? 4. Quando tamen, naturam per compendium agere, dicimus: tum, secundùm nostri conceptûs & operationis compendium,

eam

eam mensuramus. 5. Per compendium autem agere, consultò fit, non naturaliter: per accidens, non per se.

XXVII. Nihil igitur est, quòd ambages in Sole, Marte, &c. Viri excellentissimi, D. Lansbergius, in Comm. de motu Terdiur. & D. M. Nicolai, Exercit. θ. 16. p. 23. reprehendant: eo, quòd spatium percurrendum longè minus in Terra, quàm cœlo aut astris sit. Respondi enim potest: in Cœlo nulla esse motûs impedimenta, cùm sit fluidissimum & simplicissimum. Atque ideo non refert, quot milliarium myriades conficiat. Altiûs sese cœli elevarunt virtutes, quàm, ut tam crasso eas atque ignavo metiamur pede.

XXVIII. Quæ enim hæc compendiosa erit Natura? quam nos secundùm nostrum concipimus ordinem. Ita est. Suus Naturæ cursus non erit molestus, non ambages, non confusio, non dispendium erit: quemadmodum formis suæ operationes difficultas non sunt. Sat compendiosè Natura agit, si suum servat ordinem. *Compendiosiùs stellarum motus per Terræ potest motum perfici*: scilicet, nostra methodo atque dispositione. Nobis.

XXIX. * Essent adhuc aliqua in medium afferenda & ventilanda: veluti, de Maris refluxu: item, de artificiali globo, fundatione, &c. Sed D. Nicolai tractatum se-

riùs paulò accepi. Quo perlecto, mox mei, in Procemio dati, promissi pœnitere me cœpit. Promiseram autem, num. 7. me physicas demonstrationes hîc loci præteriturum. Et, quia promisi, fidē Lectori servabo.

XXX. Quia igitur de rebus Theologicis, & philosophicis duntaxat in genere, acturum, in Procemio pollicitus sum: obiter ista esse dicta volo. Felicissimè ad ea respondet Galilæus Galilæi, Syst. Cosm. Dial. 2. & sparsim in 3. Interea Apophoretum Tibi, Lector, de Motus Natura, Johannis Baptistæ Morini, ex Cap. 6. Famosi Probl. Solut. depromo: effigiebusque illustratum tuo propono judicio. Tibi censuræ gloriam; mihi attentionis honorem, vindicabo.

PROBLEMA XV.

I. B. Morini l. c. Cap. VI. *Cur Telluris quies sive motus, nequeat Astronomicè demonstrari?*

Confusè rationem attigit Lansbergius supra, dum dixit Sphæram Ptolemæi atque Copernici inter se tantùm differre, ut via quæ Athenis Thebas, ab ea quæ Thebis Athenas ducit; at propriam atque distinctam sic assignemus.


Astronomia versatur circa motus corporum cœlestium, est autem motus sensibile commune tactui, & visui: ideoque Opticæ subjectum: At si visus etiam circa propri-

um

um fallitur objectum, dum colores apparentes putat esse veros, multò facilius decipietur circa commune, qualis est motus. Idcirco demonstrat Euclides in optica, prop. 54. Quod duarum magnitudinum, quarum una ad alteram quiescentem accedat, quiescens videtur in contrariam moveri partem. Idque patet ex nube celeriter mota versus Lunam, aut stellam; Luna enim ipsa putatur ea celeritate ferri contra nubem. Item prop. 53. Quæ æquè celeriter atque oculus moventur in eandem partem, ipsa videntur quiescere, idque certe arbitratur oculus curru vectus de cane carrum è regione comitante æquali celeritate, hæque apparentiæ eò facilius sensum decipiunt, atque efficatius, quò fuerit motus velocior. Cum ergo eadem Optica doceat quod Oculus quomodocumque delatus, ad se moveri censet res obvias; Omnino sequitur inde, quod ipse oculus proprium motum minimè percipiat, quare multò minus quietem propriam. Motus enim est objectum visus, & sensibilis per se: quies verò est privatio ipsius objecti, ideoque sensibilis tantùm per accidens: unde cum neque proprium motum, neque propriam quietem percipiat oculus; hic sive moveatur, sive quiescat, omnia sibi obvia ad se moveri censebit.

Quod si dixerit quispiam, oculum motum ad aliquod quiescens, ipsum videre motum; at non rei quiescentis, ergo proprium: sic facilè

 cilè



cilè refutatur. Oculum non videre quidem motum rei quiescentis, secundum veritatem, sed secundum apparentiam: Quia etsi res, ad quam fertur, quiescere supponatur: hæc tamen hypothesis ab oculo ignoratur, qui non judicat de rei veritate, sed tantum apparentia sensibili, ergo videt oculus illum motum ut alienum, non autem ut proprium.

Fortassis verò arguetur hæc concedi de oculo vecto, homine per se immoto remanente; non autem de oculi motu ab ipsius hominis progressione: quia homo pedum suorum motum visu percipiens, seque passibus spatium


tium

tium aliquod ſucceſsivè emetiri; certus omnino redditur de proprio motu à loco ad locum.

Sed reſpondetur, homini quidem conſtare de proprio motu, & ſpatii emenſione, ſi tamen tertium adjungatur; nempe quod ipſe (A.) *non ſit ſuſpenſus ab alto: pendens enim*



ab arbore (B.) *ad fluvii* (C.) *ripam, ſi dum navis,* (D.) *aut longa tabula præterfluit, hanc ipſe pedibus attingat, & paſsibus metiatur, eadem omnino apparebunt; homine nihilominus immoto remanente in eodem loco:*



Idemque dicendum de homine H. *intra rotam* M. *suspensam* C. *constituto*, *eamq; pedibus suis in gyrum versante. Oportet igitur, ut homo proprii motus de loco ad locum certitudinem colligat*, *non ex eo directe quod visui apparet* ; *sed per reflexionem*, *atque discursum ex hypothesi, quod neque ipse*, *neque id super quod movetur*, *suspendatur. At cum oculus etiam videns illos motus*, *sit incapax hujus reflexionis*, *atque discursus*, *patet inde oculum neque directè*, *neque reflexè*; *hominem vero tantum reflexè*, *& ex hypothesi*, *proprium motum percipere* ; *ob easdem nimirum apparentias diversimode possibiles.*

Quo.

Quoniam igitur visus circa motum sic hallucinatur, intellectus verò scientiam ex sensibus haurit; falsâ frequentius imbueretur scientiâ ipsius motus, nisi polleret lumine naturali & proprio, quo errores oculi corrigeret, atque ex ei apparentibus veritatem ipsam erueret. Hoc autem aliter præstare non potest, quam supponendo quidpiam immobile, cujus respectu cætera moveri dicantur. Ac eo pacto Astronomorum pars altera supponit Terram quiescere, altera Solem: sed quia neutra hypothesis conceditur à parte contraria, supponiturque id ipsum quod quæritur, ex utraque hypothesi eadem emergunt motuum phænomena: idcirco ex his certo concludi, & astronomice demonstrari nequit an Tellus quiescat, vel moveatur: Non enim aliter id concludi posset, quam per ipsorum motuum apparentias, alias Terrâ mobili & alias quiescente: unde Astronomos omnes circa problema hoc, suam lusisse operam liquidò constat,

PROBLEMA XVI.

Utrum Moses tantùm ab Ægyptiis, & Daniel tantùm à Chaldæis, quarum faciunt mentionem, Philosophicas habuerint, & in libris Sacris scripserint, assertiones?

I. Ægyptios naturalem à Chaldæis accepisse sapientiam, ex lib. Antiquit.

Josephi 1. cap. 3. & 9. & aliàs aliunde discimus. Moses & Daniel, Prophetæ, in eadem fuere sapientia eruditi.

II. Quia verò in scriptis multa hinc inde naturalia sparsim proposuerunt: quæritur, 1. *à quo eam habuerint?* Resp. A Spiritu S. sive mediatè, sive immediate: sive immediate & mediatè simul. *Mediate*: per institutionem Ægyptiorum, Chaldæorum, Dan. 1. v. 4. Actor. 7. v. 22. *Immediate* Moses, Gen. 1. & 2. Daniel, Dan. 1. v. 17. Salomon, 1. Reg. 3. v. 12. *Mediate & immediate*, in ipso Sancti Verbi dictamine. Quam enim rerum naturalium mediatè ab aliis habuerant, sapientiam ipsis quoque Sanctus indidit Spiritus. Et, quia non à Vulgo, sed ab Eruditis scientiam didicerant, *Divino eam confirmavit*, & *quasi verificavit instinctu*.

III. 2. Quæritur; an, quæ in Sacro codice scripserunt, naturalia Chaldææ tantùm & Ægyptiacæ fuerint institutionis? Resp. Non tantùm; sed Divini quoque Spiritûs, Quæstionem qui affirmat, hæc ipsum persequuntur absurda. (α.) Mosen, Danielem, &c. illa naturalia de suo adjecisse. (β) Quòd verò adjecerunt, non de Sancti Spiritus fuisse dictamine. (γ.) Mosen, Danielem, &c. sacrilegii esse postulandos: quòd Verbis Domini sui quædam, adeoque erroneæ vulgi opinionis deliria, addiderint.

IV. Vi-

IV. Videat itaque 1. D.Wittichius, qui Diss. I. cap.7.art.16. docet, novisse Mosen & Danielem Chaldaicam Sapientiam; *sed eam suis libris inseri, ipsiusque inibi extare specimina noluisse*. Quid causæ est? *Ut ostenderent*, inquit, *hæc ex disciplina humana non divina, debere hauriri*. Resp. Est Elenchus Causæ. Patet, Eccl 1. v.7.&c. Sublatâ itaque causâ, tollitur effectus.

V. Viderit. 2. insignis Mathematicorum, D.Lansbergius, problema defendens, Comm. Controv. 1. pag. 11. quo jure defendat? Contremiscat prius, quàm tale quid, de tremenda S. Scripturæ autoritate, decernat. Rationes, quas adferat, nullæ sunt. Imò, ne probabiles quidem. Magis ego, in purè Mathematicis D.Lansbergium (utrosque,) quàm in miscellaneis, audiendum censeo. Admirandæ sunt, quas per Terræ in Ecliptica motum invenit, *duæ Stationes*, ad totum cœlum mensurandum opportunæ. Sed qui in DEI adyta impetum facit, ibique illotis suis rationibus sacra, (quàm miserè & injustè!) tractat: claudendum ipsi Scripturæ librum, eumque à Sacris ad suam esse pellendum speculam, ex concepto pro Sanctis Aris zelo, censeo. Virga illa, quam Rex Sionis habet, non est profanis tractanda manibus, ne omnino ab ea conterantur; sed adoranda potius à nobis est per rationum nostrarum subjectionem: imò ejurationem.

PROBLEMA XVII.

AN & quomodo Gloria Dei, per Hypothesin Copernicæam, exornetur; & piæ meditationes excitentur?

I. QUæstio trimembris erit. Dedit autem ei occasionem D. Jac. Lansbergius, Apol. tract. 6. c. 1. 2. 3. contra Fromondum, Professorem Lovaniensem. Distinctè itaque erit excutienda. In operibus suis laudo Deum, ut Creatorem. Ideo quæro (α.) *An Gloria Dei per Hypothesin Copernicæam exornetur?* Resp. Attende hîc, LECTOR, ad tria. Ad vocem, *GLORIA DEI.* Gloria DEI est hîc Sapientiæ & bonitatis Dei, propter sua facta, celebratio. Est autem celebratio, vel subjectiva, vel objectiva, seu intuitiva. *Lauda* hîc Deum, uti mavis.

II. 1. Deum ex Copernicæo Systemate glorificare non possumus: quia Gloriæ Dei celebratio fundari debet *in veritate indubitata.* Jam, Hypothesi Copernicææ dum mordicùs insistis, unde, quæso, tibi de veritate atque certitudine tuæ glorificantis materiæ constabit? Materia glorificationis tuæ esse debet, Systema Orbis, secundùm Copernicum. Forma erit, juxta Psalmi VIII. ductum, talis: *Domine Deus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa Terra: quoniam elevata est magnificentia*

tia tua super cœlos. Contemplor cœlos tuos, opus digitorum tuorum: Lunam & Stellas, quas statuisti. Admiraris hîc Conditoris Sapientiam, & laudas eum. Angelicum factum. Elevata est Dei sapientia super decorem cœlestem. Rectè. Contemplaris cœlos, Lunam, Stellas? Benè facis. Quid, porrò, de Cœlo, Sole, Luna & stellis, in tua celebratione confiteris? Solem, inquis, quiescere: Terram moveri. Talis ergo tua Operum Dei erit confessio: *Laudo te, Domine: quoniam tu splendidissimum Solem in medio posuisti Orbis. Tu jussisti Terram circa Solem currere, Mandasti, & cucurrit*, Unde tibi, quæso, constabit, Deum in medio posuisse Solem? Unde certus in tua eris conscientia, Deum mandasse, ut Terra circa Solem curreret? Unde, quod cucurrerit, probabis? Ex Hypothesi, Systemate Copernicæo. At hoc humani ingenii est partus; hîc autem debet esse veritas divina: debet esse certitudo infallibilis, quæ te, tuamque scientiam & conscientiam quietam atque scientem reddat. Hæc autem in solo DEI verbo, & specialiter, in rerum Genesi, fundatur. Extra hanc sapere, est fingere & opinari. Nullum igitur tuæ devotionis hîc fundamentum habes. Nulla hîc est DEI Gloria.

III. 2. Dei Gloria ex Hypothesi Copernicæa emergere non potest: quia tu inibi

DEI

DEI Sapientiam laudare *sapienter* debes. Quis te autem Præceptor docuit, sapientem Orbis creationem esse factam juxta Copernicæi Systematis descriptionem? Unde tibi de Copernicæo: unde mihi de Ptolemaico, constabit Systematibus? Mihi de meo ex S. Scriptura, ex Sapientia ipsâ, constat. Tibi verò, D. Lansbergi, ex Pythagora, Aristarcho, Gentilibus, & Copernici, Christiani, rationibus divina elucet sapientia. Crucifigatur tua ratio; mortificetur ista Sapientia. Ineptè sic Deum atque inscienter laudamus. Si vis DEI psallere Sapientiæ: psalle *sapienter*, Psal. 47. v. 8.

IV. 4. In DEI glorificatione, laudare Orbis Creatorem debes, *propter bonitatem suam*: hoc est, quia bene-valde omnia fecit, Gen. 1. At in Copernicæo Systemate, DEI bonitas non deprehenditur. Quod si eam exinde quoque elicis: contortè id nimis, & allusivè tantùm, facis. Terram quippe circa Solem currere, bonum esse nullibi & nullo constat modo. Sed, Solem oriri & occidere, bonum atque DEI esse bonitatem, Veritas ipsa pronunciat, Matth. 5 v. 49. Veritas itaque & bonitas DEI in Ptolemaico Systemate, juxta S. literas fundatur: Et, quia fundatur, gloria DEI clarissimè exinde elucet.

V. 2. Attende ad vocem, *HYPOTHESIS*. Hæc, vel est (α.) *mentis Divinæ*

næ: qualem dicunt nonnulli esse, opinionem de Aquis supracœlestibus. Sed irreverenter. Quicquid enim in S. Scriptura proponitur: non Hypothesis: sed Thesis: non opinio, sed demonstratio; sed scientia est ipsa, omni acceptatione dignissima. (β.) Vel est *mentis humanæ*, quæ Opinio tantùm, in quantum talis, est. Jam Copernicæum Orbis Systema est mentis humanæ, & tantopere litigiosa, hypothesis. Ergo in eâ DEI Gloria fundari neutiquam potest.

VI. 3. Ad vocem, EXORNARI. Exornare DEI Gloriam Copernicæi Orbis Systema, contendit D. Lansbergius. Sed alienè valdè.

Exornat DEI Gloriam omne id, quod pulchrum est. Hæc D. Lansbergii, & mea, est assertio. Subsumamus.

Atqui Copernicæum Orbis Systema est pulchrum.

Ergo DEI Gloriam exornat. Quam de suo Orbis systemate pulchritudinem D. Jacobus Lansbergius statuit; eam videsis in Apologia pro Phil. Lansbergio, contra Fromondum & J. B. Morinum, tract. 6. c. 1. *Pulcherrimam*, inquit, *esse totius mundanæ machinæ structuram ex Hypothesi Copernici; res ipsa docet. Sive enim Sphærarum situm & ordinem, sive etiam cœlestium corporum motus, motuum symmetriam, compendium & facilitatem consideres; omnia*

mnia sunt pulcherrima & maximè artificiosa. Nihil enim in ea deest, nihil redundat. Adeo ut non accuratior membrorum in corpore humano symmetria sit, quam sphærarum inter se: neque illis ullum membrum abripueris, alterique loco agglutinaris, sine totius deformatione.

VII. Resp. Quæ hæc pulchritudo est? Hypotheseos humanæ. Sed pulchritudo ista (α.) dubia est. Ratio, 1. quia incerta. 2. quia litigiosa nimis est. 3. Quia absurditatibus suis non caret. Vide Joh. Bapt. Morinum, fam. Probl. solut. cap. 7. 8. 9. &c. Et Mulletium. Instit. Astron. in præfat (β.) Pulchritudo ista, ad DEI collata gloriam, nulla omnino est: 1. quia non est gloriæ DEI adæquata, seu pulchritudo Scripturæ, in veritate & Sapientia Dei fundata, uti probatum est. 2. Quia pulchritudo est *purè* Astronomica. Quia pulchritudo est, hominis ingenio delineata. 3. Nec opus est, ut Naturæ esse dicas pulchritudinem: quia eam, ex principiis primis atque infallibilibus, demonstrare nunquam potes; sed ex postulatis tantùm. Jam scientia humana hypothetica, Vanitas est. Per vanitatem autem Deum laudare, stolidum est. 4. Quia, in ista Systematis Copernicæi pulchritudine, Hominis, non DEI, elucet gloria. Et sanè, D. Lansbergius hîc Hominem laudat, non DEUM. Pulchriorem ego habeo Virginem,

nem, quæ DEI deprædicare Gloriam me quotidie docet. Eusebia est. Hanc exosculor. Hæc, pulchritudinem Operum DEI in Sancto *primitùs* fundari Codice, asserit Gen. 1. & 2. Psal. 8. & 33. & 148. Eccl. 1. Matt. 5.

VIII. (ε.) Alterum Problematis membrum est. *An Pietas, per Hypothesin Copernicæam, excitari possit?* Resp. Remotè, utique. Proximè verò pietas & devotio tua fundari debet 1. *in veritate*: ut ita vera & certa, de DEO ejusque operibus, prædices. Quod ut præstare possis, conscientiæ assensum habeas, necesse est: quia tu Deum venerari, secundùm scientiam & conscientiam, debes: hoc est, in Spiritu & Veritate. Et hæc est vera Mentis in Deum ascensio. Nisi conscientia Scientiæ tuæ assensum dederit: tum ineptè Deum laudas: &, contra tuam conscientiam, pietatis prætendis specimen. 2. In vera *Devotione.* Devotio est humiliatio. Humiliatio est, sui ipsius coram DEO abnegatio. Abnega & ejura tuas rationes: iisque DEI GLORIÆ majestatem non deteras, & conspurces. Et sic DEO, Orbique Ejus placebis.

IX. (γ.) Tertium Problematis nostri membrum est. *Quo tandem pacto DEI Gloria, ex Hypothesi Copernicæa, haberi possit?* Resp. Remotè, & generaliter. Laudabis DEUM in genere: quod in-

incomprehensibilem suam Sapientiam increando: artificium in disponendo Mundo: pulchritudinem in egregiâ rerum symmetria & harmonia nobis contemplanda: Mundumque totum disputationi nostræ, tradidit. Imiteris pietatem Cæsarei Mathematici, Kepleri, præfat. in Martem, in fine. Si es Copernicæus, lauda Deum: ora Deum, pro rationalis luminis augmento. Foscarini quoque tibi commendo modestiam, in Epistola ad Seb. Fantonem. Præ cæteris maximè, insigne illud Rationalis Luminis specimen, Nobilissimum Des-Cartes, Princip. Phil. part. 1. num. 75. pag. 31. Cujus verba tibi, quia non omnibus, Autorem istum legere & intelligere, contingit, apponam. *Præter cætera autem*, inquit, *memoriæ nostræ pro summa regula est infigendum, ea quæ nobis à Deo revelata sunt, ut omnium certissima esse credenda; Et quamvis fortè lumen rationis, quàm maximè clarum & evidens, aliud quid nobis suggerere videretur, soli tamen authoritati divinæ potiùs, quam proprio nostro judicio fidem esse adhibendam: sed in iis, de quibus fides divina nihil nos docet, minimè decere hominem philosophum, aliquid pro vero assumere, quod verum esse nunquam perspexit; & magis fidere sensibus, hoc est, inconsideratis infantiæ suæ judiciis, quàm maturæ rationi.*

X. Cape Tibi hoc, inflatè rationum tuarum

rum admirator. Erubesce, contra S. Spiritum sapere. Confusio tibi merces, coram DEO & suo Orbe, erit. Moneo Te. Res tuas in tutiori Veritatis vado colloces. Retineas demonstrationes tuas. Nemo eas tibi ereptum ibit. Ego illas, & Te propter illas, admirabor, & laudabo. Sed Sancta DEI oracula ad tuum detorquere placitum noli. Convicerunt Te temeritatis Viri celeberrimi, I. B. Morinus, D. Gisbertus Voetius, Mulerius: &c. Desine. Claudetur aliàs Tibi Sacer Codex: quia abusus eo valde es. Cave Tibi: si tibi consultum vis.

PROBLEMA XVIII.

UTrum Postulata Mathematicorum præscribere S. Scripturæ debeant? Et contra; utrum S. Scriptura Mathematicis præscribat?

I. SUprà, in Proœmio, Num. 10. Problema hocce proposui. In quod latiùs paulò inquirerem, nisi me & tempus & negotia id prohiberent. Affirmandum autem utrumque, puto. Sed cum micâ salis accipienda ejus verba sunt.

II. 1. Postulata Mathematicorum præscribunt S.S. scilicet, in purè Mathematicis. Ratio: quia S. Scriptura purè-Mathematica non proponit; sed proposita, aliqua pauca, suo confirmat testimonio. 2. Præscribunt Scripturæ postulata: scilicet, modum & for-

formam res considerandi Mathematicas. 3. Sacra Scriptura Mathematicis Doctoribus Rem præscribit: quatenus *Testis*; non, quatenus Norma, est. Ratio: quia Scriptura Testis *Rem* porrò in suo continet testimonio, eamque proponit.

II. 4. Cum itaque, & Scriptura Mathesi, & Mathesis Scripturæ præscribant: sequitur (α.) Testimonium Scripturæ in Mathematicis suum quoque habere valorem, & autoritatem. Atque ita (β) Scriptura adducta nequaquam rejicienda est. Patet: quia testimonia ejus Copernicæi eludere aliter non potuerunt; quàm, erroneæ vulgi opinionis prætensione. Quæ, ipsorum in Scripturam prætensio, examinata suprà, & rationibus confutata est. LECTOR, judicabis.

III. γ. Stante præscriptione hac: Theologi, in Mathematica controversia, propter demonstrationes datas, *opinionem* tantùm, & non Scientiam quoque, habere possunt. Et contra. Mathematici Copernicæi è suis demonstrationibus, propter manifesta Sanctæ Scripturæ argumenta, opinionem tantùm, non verò Scientiam, habere possunt, & debent.

IV. Sed non est, quòd vel Ptolemaicus mihi succenseat; vel Theologi sua in me jaciant fulmina; vel Copernicæus sibi abblandiatur & superbiet, eò: quòd Problema istud affirmaverim. Studio feci. Ut

Par-

Partium, de Problemate isto, sententiam explorare eò possem meliùs. Omnia ad veritatis Normam examinare constitueram. Sed, quia paucis hactenus idque levibus, in tam famosâ Controversia, actum est rationibus: nonnulla, ad sententiarum explorationem, (hîc quidem) proposui.

PROBLEMA XIX. & ult.

AN Copernicæus, Sancta, de Telluris quiete & Solis motu, legendo Biblia, suæ Hypothesi inhærere, in ipso lectionis actu, debeat?

I. CAsum Tibi propono Conscientiæ, Lector Copernicee: ut libello isti faciat coronidem. Tu verò Sanctis convictus rationibus, Spiritum Sanctum testantem revereri tandem, & Pietatis, Modestiæque limitibus, in controvertendo, stare, mecum discas. Actum hactenus est ad Scientiam: restat, agamus ad Conscientiam. Problematis rationem Tibi do: quia in famosâ hacce, de Solis vel Telluris motu, Disputatione agitur, partim ad rationes; partim secundùm Naturam; partim etiam ad Spiritus Sancti mentem. Ubi vero est scientia secundùm Deum: ibi conscientiæ assensus, vel dissensio, esse debet.

II. Nego autem Problema. Rationes sunt. Prima: quia Sanctorum DEI oraculorum

lorum lectio est actus, non scientiæ; sed conscientiæ etiam. Actus autem iste secundùm Deum est. Si actus secundùm DEUM: est Ergo non secundùm Hominem. Si secundùm SS. eloquia: Ergo non secundùm Hominis Hypothesin. 2. Quia lectio, Scripturæ præscribens non est sacra; sed profana. 3. Quia in lectione sacrâ S. S. Mathematico rem præscribit. Non itaque ipse eidem præscribere debet. 4. Quia Operum DEI in Sacro Codice contemplatio esse debet Theologica; non Philosophica, Psal. 8. & 19. & 148. Eccl. 1. Devota, inquam, esse debet. Jam, quæ ista est devota lectio, quæ contrarium eidem præsumit? 5. Quia, quemadmodum DEI Oraculorum auditio fieri, circumcisis corde & auribus, debet, Act. 7. v. 51. ita, lectionem eorundê circumcisis corde, oculis, rationibusque fieri, necessum est. Et quidem meritò: quia scientia tua Hypothetica, est Vanitas, ipso: quia est circumcisa, in minimis etiam. Quî igitur vanitas Sancto præscribere Spiritui audes?

III. Quocirca hinc fluunt consectaria, 1. Ergo, qui, sacra legendo Biblia, hypothesi S. Spiritui contrariæ inhæret, peccat. Per consequens: lectio ipsius peccatum, & conscientiæ laqueus, erit. Examina Te, Lector. Legis in Codice sacro, Eccl. 1. v. 5. verba: *Sol oritur.* Et Matth. 5. v. 45. *Deus finit*

oit Solem suum oriri super bonos & malos. Habes præ oculis Copernicæi Orbis Systema, sphæricum, fabrefactum. Contrarium tibi demonstratio illa sphærica suadet, Solem non oriri, non moveri; sed Terram. Cui persuasioni si locum dederis: corporis tui centrum, unà cum Terra, movebitur. Conscientia nutabit. Hærebis. 2. In rerum Universitatis examine nostra ratio corrupta quoque & insufficiens est. Igitur, rerum testimonia in Codice sacro legens, assentiri iisdem eò lubentiùs debes. Et 3. quia famosa ista Quæstio adeo litigiosa est, ut, si rationibus Mathematicis & Philosophicis certandum sit, quodlibeticè (quod ajunt) possit defendi: captivum te DEO, etiam in operum ejus cognitione confessione, submittas.

IV. Desino, & Te, quisquis es, moneo: quia obsequium Deo hîc etiam debes. Monet. Eusebia. Non tuis S S. rationibus insultes ampliùs. Crucifige eas: imò Te-ipsum. Vacare tuæ Hypothesi domi potes; quæ tibi utilior & facilior est. Sed in Scripturæ interpretatione id nunquam tētabis. Monet Te Dominus, in libri fronte: *Ego Dominus docens utilia.* Glossa addit: *non subtilia.* Expendas itaque in libris Sacris, GLORIÆ DEI, Tibi, Tuoque proximo *utilia.* Subtilia Tibi aliàs non denegantur. Sed non præscribant. Vale, LECTOR, & Te mihi candidum, æquum & benevolum præstare digne-

digneris, qui me Tibi ad officia obligare non dubito. Oro autem veris gemitibus Filium DEI: ut suam sapientiam cœlitùs emittat, quæ nobiscum habitet, & nobiscum ambulet, & de Operibus DEI conferentes dirigat, rationisque lumen adaugeat. Ut ita DEUM cum creaturis laudare, ejusque Opera enarrare, discamus.

IPSI. REGI. ÆTERNO. INCORRUPTIBILI. INVISIBILI. SOLI SAPIENTI. DEO. SIT. HONOR. ET GLORIA. IN SECULA. SECULORUM! AMEN.

FINIS.

EPI-



EPISTOLA
AD
NOBILISSIMAM, ERUDITISSIMAMQUE FOEMINAM,
Dn. MARIAM CUNICIAM,
URANIÆ PROPITIÆ AUCTRICEM, &c.

Viri Excellentissimi atq; Experientissimi,
D. ELIÆ à LEONIBUS,
Med. Doct. ejusdemque, per Silesiam & vicinam Poloniam, Practici felicissimi atque celeberrimi,

CONJUGEM.

In qua EXAMINIS *ratio toti Orbi redditur.*

MARIÆ CUNICIÆ
JOHANNES HERBINIUS
Salutem.

PLurimùm hactenus de Te, Clarissima Domina, sermonem habui; sed apud Te, nullum adhuc. Annis quippe jam quatuor silendum mihi rat. Quod, ingratum me, & contra datam

O fe-

mnia sunt pulcherrima & maximè artificiosa. Nihil enim in ea deest, nihil redundat. Adeo ut non accuratior membrorum in corpore humano symmetria sit, quam sphærarum inter se: neque illis ullum membrum abripueris, alterique loco agglutinaris, sine totius deformatione.

VII. Resp. Quæ hæc pulchritudo est? Hypotheseos humanæ. Sed pulchritudo ista (α.) dubia est. Ratio, 1. quia incerta. 2. quia litigiosa nimis est. 3. Quia absurditatibus suis non caret. Vide Joh. Bapt. Morinum, fam. Probl. solut. cap. 7. 8. 9. &c. Et Mullerium. Instit. Astron. in præfat (β.) Pulchritudo ista, ad DEI collata gloriam, nulla omnino est: 1. quia non est gloriæ DEI adæquata, seu pulchritudo Scripturæ, in veritate & Sapientia Dei fundata, uti probatum est. 2. Quia pulchritudo est *purè* Astronomica. Quia pulchritudo est, hominis ingenio delineata. 3. Nec opus est, ut Naturæ esse dicas pulchritudinem: quia eam, ex principiis primis atque infallibilibus, demonstrare nunquam potes; sed ex postulatis tantùm. Jam scientia humana hypothetica, Vanitas est. Per vanitatem autem Deum laudare, stolidum est. 4. Quia, in ista Systematis Copernicæi pulchritudine, Hominis, non DEI, elucet gloria. Et sanè, D. Lansbergius hîc Hominem laudat, non DEUM. Pulchriorem ego habeo Virginem,

m, quæ DEI deprædicare Gloriam me
ıotidie docet. Eusébia est. Hanc exo-
ılor. Hæc, pulchritudinem Operum DEI
Sancto *primitùs* fundari Codice, asserit
:n. 1. & 2. Psal. 8. & 33. & 148. Eccl. 1.
ṣatt. 5.
VIII. (ε.) Alterum Problematis mem-
um est. *An Pietas, per Hypothesin Co-*
'rnicæam, excitari possit? Resp. Remotè,
ique. Proximè verò pietas & devotio tua
ndari debet 1. *in veritate*: ut ita vera &
:rta, de DEO ejusque operibus, prædices.
uod ut præstare poisis, conscientiæ assen-
m habeas, necesse est: quia tu Deum ve-
:rari, secundùm scientiam & conscienti-
ą, debes: hoc est, in Spiritu & Veritate.
t hæc est vera Mentis in Deum ascensio.
lisi conscientia Scientiæ tuæ assensum de-
:erit: tum ineptè Deum laudas: &, contra
ıam conscientiam, pietatis prætendis spe-
men. 2. In vera *Devotione.* Devotio est
umiliatio. Humiliatio est, sui ipsius coram
'EO abnegatio. Abnega & ejura tuas ra-
ones: iisque DEI GLORIÆ majestatem
on deteras, & conspurces. Et sic DEO,
'rbique Ejus placebis.
IX. (γ.) Tertium Problematis nostri
ıembrum est. *Quo tandem pacto DEI*
'loria, ex Hypothesi Copernicæa, ha-
eri possit? Resp. Remotè, & generali-
:r. Laudabis DEUM in genere: quod
in-

incomprehensibilem suam Sapientiam increando: artificium in disponendo Mundo: pulchritudinem in egregiâ rerum symmetria & harmonia nobis contemplanda: Mundumque totum disputationi nostræ, tradidit. Imiteris pietatem Cæsarei Mathematici, Kepleri, præfat. in Martem, in fine. Si es Copernicæus, lauda Deum: ora Deum, pro rationalis luminis augmento. Foscarini quoque tibi commendo modestiam, in Epistola ad Seb. Fantonem. Præ cæteris maximè, insigne illud Rationalis Luminis specimen, Nobilissimum Des-Cartes, Princip. Phil. part. 1. num. 75. pag. 31. Cujus verba tibi, quia non omnibus, Autorem istum legere & intelligere, contingit, apponam. *Præter cætera autem*, inquit, *memoriæ nostræ pro summa regula est infigendum, ea quæ nobis à Deo revelata sunt, ut omnium certissima esse credenda; Et quamvis fortè lumen rationis, quàm maximè clarum & evidens, aliud quid nobis suggerere videretur, soli tamen authoritati divinæ potiùs, quam proprio nostro judicio fidem esse adhibendam: sed in iis, de quibus fides divina nihil nos docet, minimè decere hominem philosophum, aliquid pro vero assumere, quod verum esse nunquam perspexit; & magis fidere sensibus, hoc est, inconsideratis infantiæ suæ judiciis, quàm maturæ rationi.*

X. Cape Tibi hoc, inflatè rationum tua-

n admirator. Erubesce, contra S. Spi-
ım sapere. Confusio tibi merces, coram
:O & suo Orbe, erit. Moneo Te. Res
ıs in tutiori Veritatis vado colloces. Re-
eas demonstrationes tuas. Nemo eas ti-
ereptum ibit. Ego illas, & Te propter il-
, admirabor, & laudabo. Sed Sancta DEI
ıcula ad tuum detorquere placitum noli.
ɔnvicerunt Te temeritatis Viri celeberri-
i, I. B. Morinus, D. Gisbertus Voetius,
ulerius: &c. Desine. Claudetur aliàs Tibi
ıcer Codex: quia abusus eo valde es. Ca-
Tibi: si tibi consultum vis.

PROBLEMA XVIII.

UTrum Postulata Mathematicorum præscribere S. Scripturæ debeant? Et contra; utrum S. Scriptura Mathematicis præscribat?

SUprà, in Proœmio, Num. 10. Problema hocce proposui. In quod latiùs paulò inquirerem, ni-
me & tempus & negotia id prohiberent.
ıffirmandum autem utrumque, puto. Sed
um micâ salis accipienda ejus verba sunt.

II. 1. Postulata Mathematicorum præ-
:cribunt S.S. scilicet, in *purè Mathematicis*,
Ratio: quia S. Scriptura purè Mathematica
ıon proponit, sed proposita, aliqua pauca,
uo confirmat testimonio. 2. Præscribunt
Scripturæ postulata: scilicet, modum &
for-

formam res considerandi Mathematicas.
3. Sacra Scriptura Mathematicis Doctoribus Rem præscribit: quatenus *Testis*; non, quatenus Norma, est. Ratio: quia Scriptura Testis *Rem* porrò in suo continet testimonio, eamque proponit.

II. 4. Cum itaque, & Scriptura Mathesi, & Mathesis Scripturæ præscribant: sequitur (α.) Testimonium Scripturæ in Mathematicis suum quoque habere valorem, & autoritatem. Atque ita (β) Scriptura adducta nequaquam rejicienda est. Patet: quia testimonia ejus Copernicæi eludere aliter non potuerunt; quàm, erroneæ vulgi opinionis prætensione. Quæ, ipsorum in Scripturam prætensio, examinata suprà, & rationibus confutata est. LECTOR, judicabis.

III. γ. Stante præscriptione hac: Theologi, in Mathematica controversia, propter demonstrationes datas, *opinionem* tantùm, & non Scientiam quoque, habere possunt. Et contra. Mathematici Copernicæi è suis demonstrationibus, propter manifesta Sanctæ Scripturæ argumenta, opinionem tantùm, non verò Scientiam, habere possunt, & debent.

IV. Sed non est, quòd vel Ptolemaicus mihi succenseat; vel Theologi sua in me jaciant fulmina; vel Copernicæus sibi abblandiatur & superbiet, eò: quòd Problema istud affirmaverim. Studio feci. Ut

Par-

rtium, de Problemate isto, sententiam plorare eò, possem meliùs. Omnia ad veatis Normam examinare constitueram. d, quia paucis hactenus idque levibus, in n famosâ Controversia, actum est rationis: nonnulla, ad sententiarum exploratiom, (hîc quidem) proposui.

PROBLEMA XIX. & ult.

AN Copernicæus, Sancta, de Telluris quiete & Solis motu, legendo Biblia, suæ Hypothesi inhærere, in ipso lectionis actu, debeat?

CAsum Tibi propono Conscientiæ, Lector Copernicee: ut libello isti faciat coronidem. Tu verò Sanctis convictus rationibus, Spiritum Sanctum testantem revereri tandem, & Pietatis, Modestiæque limibus, in controvertendo, stare, mecum dias. Actum hactenus est ad Scientiam: reat, agamus ad Conscientiam. Problemas rationem Tibi do: quia in famosâ hacce, Solis vel Telluris motu, Disputatione gitur, partim ad rationes; partim secunùm Naturam; partim etiam ad Spiritus ancti mentem. Ubi vero est scientia seundùm Deum: ibi conscientiæ assensus, vel issensio, esse debet.

II. Nego autem Problema. Rationes int. Prima: quia Sanctorum DEI oracu-

lorum

lorum lectio est actus, non scientiæ; sed conscientiæ etiam. Actus autem iste secundùm Deum est. Si actus secundùm DEUM: est Ergo non secundùm Hominem. Si secundùm SS. eloquia: Ergo non secundùm Hominis Hypothesin. 2. Quia lectio, Scripturæ præscribens non est sacra; sed profana. 3. Quia in lectione sacrâ S. S. Mathematico rem præscribit. Non itaque ipse eidem præscribere debet. 4. Quia Operum DEI in Sacro Codice contemplatio esse debet Theologica; non Philosophica, Psal. 8. & 19. & 148. Eccl. 1. Devota, inquam, esse debet. Jam, quæ ista est devota lectio, quæ contrarium eidem præsumit? 5. Quia, quemadmodum DEI Oraculorum auditio fieri, circumcisis corde & auribus, debet, Act. 7. v. 51. ita, lectionem eorundē circumcisis corde, oculis, rationibusque fieri, necessum est. Et quidem meritò: quia scientia tua Hypothetica, est Vanitas, ipso: quia est circumcisa, in minimis etiam. Quî igitur vanitas Sancto præscribere Spiritui audes?

III. Quocirca hinc fluunt consectaria, 1. Ergo, qui, sacra legendo Biblia, hypothesi S. Spiritui contrariæ inhæret, peccat. Per consequens: lectio ipsius peccatum. & conscientiæ laqueus, erit. Examina Te, Lector. Legis in Codice sacro, Eccl. 1. v. 5. verba: *Sol oritur.* Et Matth. 5. v. 45. *Deus*

Solem suum oriri super bonos & malos.
:s præ oculis Copernicæi Orbis Syste-
sphæricum, fabrefactum. Contrarium
lemonstratio illa sphærica suadet, So-
non oriri, non moveri; sed Terram.
persuasioni si locum dederis: corporis
:entrum, unà cum Terra, movebitur.
scientia nutabit. Hærebis. 2. In rerum
versitatis examine nostra ratio corrupta
que & insufficiens est. Igitur, rerum te-
ionia in Codice sacro legens, assentiri iis-
1 eò lubentiùs debes. Et 3. quia famosa
Quæstio adeo litigiosa est, ut, si rationi-
Mathematicis & Philosophicis certan-
n sit, quodlibeticè (quod ajunt) possit
endi: captivum te DEO, etiam in oper
n ejus cognitione confessione, submittas.
IV. Desino, & Te, quisquis es, moneo:
ia obsequium Deo hîc etiam debes. Mo-
:. **Eusebia.** Non tuis S S. rationibus in-
tes ampliùs. Crucifige eas: imò Te-1-
um. Vacare tuæ Hypothesi domi potes;
æ tibi utilior & facilior est. Sed in Scriptu-
interpretatione id nunquam tētabis. Mo-
t Te Dominus, in libri fronte: *Ego Domi-*
's docens utilia. Glossa addit: *non subtilia.*
xpendas itaque in libris Sacris, GLORIÆ
EI, Tibi, Tuoque proximo *utilia.* Sub-
ia Tibi aliàs non denegantur. Sed non
'æscribant. Vale, LECTOR, & Te mihi
ndidum, æquum & benevolum præstare
digne-

digneris, qui me Tibi ad officia obligare non dubito. Oro autem veris gemitibus Filium DEI: ut suam sapientiam cœlitùs emittat, quæ nobiscum habitet, & nobiscum ambulet, & de Operibus DEI conferentes dirigat, rationisque lumen adaugeat. Ut ita DEUM cum creaturis laudare, ejusque Opera enarrare, discamus.

IPSI. REGI. ÆTERNO. INCORRUPTIBILI. INVISIBILI. SOLI SAPIENTI. DEO. SIT. HONOR. ET GLORIA. IN SECULA. SECULORUM! AMEN.

FINIS.

EPI-



EPISTOLA
AD
NOBILISSIMAM, ERUDITISSIMAMQUE FOEMINAM,
Dn. MARIAM CUNICIAM,
URANIÆ PROPITIÆ
AUCTRICEM, &c.
Viri Excellentissimi atq; Experientissimi,
D. ELIÆ à LEONIBUS,
Med. Doct. ejusdemque, per Silesiam & vicinam Poloniam, Practici felicissimi atque celeberrimi,
CONJUGEM.
In qua EXAMINIS ratio toti Orbi redditur.

MARIÆ CUNICIÆ
JOHANNES HERBINIUS
Salutem.

PLurimùm hactenus de Te, Clarissima Domina, sermonem habui; sed apud Te, nullum adhuc. Annis quippe jam quatuor silendum mihi erat. Quod, ingratum me, & contra datam

O fe-

fecisse fidem, dubio procul quereris. Quam que Tuo Nomini semper detuleram, observantiam nunquam fuisse veram, putabis: quia desiisse videtur? Sed videtur. Etiam putares tantùm! Errare enim Te hîc maximè, & magno meo bono, velim. Prohibuit me Nominis tui, &, supra Orbis existimationē, excellentis Eruditionis tuæ majestas. Nec non insignis locorum distantia: quæ fecit, ut, ne ex intervallo quidem, tuum mihi regustare favorem hactenus licuerit. Sed nec meam Tibi devotionem. Communis jactura est. Animus tamen meus, ipsis altior montibus, à Te separatus nunquam fuit: quia Te ubique coluit. Nec immeritò. Virtutes enim tuæ, sincera religio, assidua pietas, omnigena eruditio, modestia sine exemplo, quem non, vel Barbarorum, Tibi conciliabunt? Laudarem Te, Domina; sed, ne tuas laudes ingenii culpâ deteram, etiam vereor. Timantem sequar; &, quod penicillo exprimere non possum, velo contegam. Neque tamen deesse, neque injurius Tibi esse, volo. Dicam igitur. Describere Te elogiis, tuæ me Virtutes jubent. Quæris causam? Tutemet ipsa es. Tu avitis Majorum, semper eruditorum, laudibus ad Virtutem excitata, Aönios frequentare hortos decrevisti. Olympum non exhorruisti. Sororibus Te adjungere, Dea quoque olim futura, non dubitasti. In quibus

co-

colendis quantum præſtiteris, taceo. Muſæ clamant, quorum ingenium tuum feciſti: & linguam tuam Hyblæio nectare perluiſti. Feciſti. Nec dum ſufficit. Etiam Te ſtellis & concilio inſerere Jovis cupiens, cœlorum ſatagebas: quos in tua URANIA, PROPITIA, libro eruditiſſimo, uſque adeo propitios nobis, & facillimâ methodo, duros antehac & impervios, illuſtriores Orbi reddidiſti. Præſtitiſti. Dicitur communiter, Apollinem & Muſas eſſe innuptas. Hoc credat, cui credere ipſa eſt facilitas. Habuit mea quondam Leyda, Muſarum ſedes amœniſſima, Orbis literati principes, Scaligeros, Grotios, Salmaſios, & quos adhuc fovet, Heinſios. Habet noſtrum etiamnum Ultrajectum ſuos, Voetios, Matthæos (quem proh dolor! habuit) Regios, Æmilios, &c. Quærendæ principibus Viris, Principes fœminæ. Viris tantis dignæ viragines. Adſunt Ethnici nominis, Semproniæ, Corneliæ, Læliæ, Mutiæ, Caſſandræ, Hortenſiæ. Comparent Chriſtiani Numinis & ſanguinis, Paulæ, Albinæ, Valeriæ, Probæ, Eudociæ, &c. Quæ omnes ſua cum Apolline commutarûnt ſerta. Præſto etiam eſt Belgii noſtri miraculum, Trajecti Rhenani DEA, Academiæ ornamentum, Virgo, Generoſa atque Clariſſima Domina, ANNA MARIA de SCHURMAN: cujus Virtutes, & ſtupendæ dotes, Orbi dudum inno-

O 2 tue-

tuerunt. Hujus Virginis in laudes literatorum surrexit Collegium, suamque illam proclamavit felicitatem. Magnum decus. Quid verò Tu, Nobilissimâ CUNICIA, quæ tuum æternitatis Albo inscripsisti nomen? Lucemne fugies, quæ in Orbis theatro illuxisti? Modestiæ forsan litasses, si in obscuro habitasses? Quasi verò, ad summum Doctrinæ & Gloriæ fastigium evecti, non modestissimi etiam fuerint multi. Non probo. Damnasset tuas tenebras Belgium: Te, teâ: me, actore: Viris doctis, judicibus. Tu insignem, quâ polles, eruditionem cum Virtute & Pietate ita maritasti: ut non minùs sapiens, quàm literata, audias. Sed inclaruisti. Benè factum.

Mitto Tibi, Domina, libellum meum, famosæ de Solis vel Telluris motu controversiæ Examen, ad Sanctam institurum Normam. Tenuitatis meæ est Exercitium. Cujus ratio DEO, ORBI Ejus, & Tibi jam, reddenda erit. Accipe igitur Examinis.

1. *Initium.* Occasionem ejus Anno præterito, Lugduni Batavorum mihi dederunt Viri-Juvenum, Generosus, atque politissimus Dominus JOHANNES-GEORGIUS à *Franckenberg*, Eques Silesius, Dominus in *Omechaw*, &c. cum fratribus germanis Nobilissimis DD. de *Reichelen*, Wratislaviensibus. Quibuscum mihi magna in Bel-

Belgio intercessit familiaritas. Hos, studiorum communicandorum gratiâ, quoties adeo: toties, post singularis benevolentiæ specimina, mihi Hypothesin Copernicæam commendabant: quam, ut Mathesi discendæ commodiorem, probavi. Famosum autem de Telluris motu vel quiete problema, ventilandum maximè, proponebant. Disputavimus. Rationibus primùm, quivis, per suum Primum Verum, contra alterius primum Falsum, & rigorosè satis, in præsentia Clarissimi Mathematici, D. Goldmanni, invicem egimus. Et Rationibus quidem victus aliquoties, discesseram. Rem Pythagoræ, Aristarcho & Copernico ferè concesseram: & contra Ptolemæum, Aristotelem, totumque Orbem decernere, ratum jam habebam. Cum, ecce, ad Sancta Dei oracula, cum Hypothesi concilianda, devenio: omniaque ibi, secundùm erroneam apparentiam, & vulgi opinionem explicari, judicari & rejici, deprehendo. Imò, falsè etiam, obiter & desultoriè à Copernicæis, ad omnia sacra responderi, animadverti.

Ingemui ad tam inhumanam codicis Sancti dilacerationem. Neque ampliùs altercari, sed hîc stare, decrevi: donec meliora, ex assiduâ Partis utriusque Autorum lectione & collatione, edocerer. Extemplò itaque me lectioni accingo Auctorum. D. Lansbergii primùm Commentarios in mo-

tum Terræ Diurnum evolvo, in quibus S. Scripturæ angustiam vidi, gemitum columbæ cum dolore audivi: coactam atque impiam Scripturæ ad Hypothesin detorsionem & irreverentiam damnavi. Famosum itaque examinare Problema decrevi.

2. Compulit quoque me ad Examen istud, examinis oraculorum DEI, in hacce materia, defectus. Quotusquisque enim Controversiam tractavit: rationibus ubique egit. Sacra autem argumenta partim neglexit: partim obiter & aliqua tantùm, attigit: partim etiam, insufficienter & ineptè, omnia SS. effata ad unum vulgi & oculorum errorem applicavit. Illibatam Scripturæ virginitatem constupravit. Omnium itaque conflagrare potiùs invidiâ, atque odio, quàm tantam DEI Oraculorum lacerationem ferre diutiùs, elegi.

Progressum quod concernit. Fateor, me initiò, aliquot saltem S. Scripturæ locorum Copernicæam instituere exegesin, voluisse. Et, cùm vix primum descriptum Typis esset caput. Ecce, rei meæ conscius, Reverendus admodùm atq; Eruditissimus Vir, D. FRIDERICUS SCHWETGIUS Ecclesiæ, Inv. Aug. Conf. hîc Ultrajecti addictæ, Pastor vigilantissimus, Fautor atque popularis meus honorandus, ad me festinus venit: se, apud celeberrimum elegantiarum promicondum, Typothetam nostrum, D. Waes-

Waesbergium, D. Wittichii, SS.Th. in Illustri Duisburgensium Lyceo Professoris, de materia ista vidisse Dissertationes, dicens. Has ut emerem atque evolverem, sedulò monuit. Dicto parui. Feci. Sed, Dissertationes dum lego, multa inibi præjudicia: varias S. Scripturæ, & ad Copernici Hypothesin coactas, interpretationes: impossibiles vulgi conceptus, & opiniones absurdas: & quam non desolationis abominationem, in Locis Sanctis, deprehendi. Ingemui scripto: atque, inconsutilem Christi tunicam, (Ecclesiam tot dissidiis vexatam) tam miserè, & à suis quidem, uti dici volunt, defensoribus, lacerari, valde dolui. Et, esse qui ligonibus philosophantur, multò feliciores nobis, rationibus decertantibus, non sine indignatione, exclamavi. Non melioris erat notæ, Danielis LIPSTORPII, Copern. Rediv. Cap. Ultimum: in quo DEI Verbum, cerei adinstar nasi, etiam contorsit. Sed, quàm periculosum sit, multos offendere, & manum inter hiantes ponere rimas, seriò perpendebam. Ideòque hæsitare, animum despondere, & ab inchoato desistere tractatu, cogitabam. Reverendus autem supranominatus, meam reprehendere hæsitationem hisce Rabbinorum cœpit proverbiis: *In loco, ubi non est vir, ibi tu esto Vir. Olera erunt in pratis.* Rectam instas viam. *Dominus providebit,* & te confor-

tabit. Quibus dictis Vir Doctissimus me ita erexit, adeoque animavit: ut mox animo indeclinabilis, inque omnem odii patientiam induratus: & jam, non sorberè tantum, sed concoquere etiam invidiam, paratus essem.

Sancto itaque invocato S. quò me Philosophiæ vocabat sacramentum, ivi: operi continuando me accinxi. Et, utriusque Partis, Ptolemaicæ & Copernicææ, contemplato pulvere: fortunæ quoque eorundem vultum in Sacris observavi literis. Eruditum autem Archimedis pulverem.

Qui totum radio describat gentibus orbem, nequaquam turbare, in animum induxi. Neque mihi quicquam cum Mathematicis esse volui demonstrationibus; sed, Theologico Philosophica proponere atque examinare, decrevi. Et feci. In facto sacrorum, contra Ptolemaicos undequavorsum adductorum, argumentorum insufficientiam ostendi. Prætensio est: Deum, in naturalibus, captui erroneæque vulgi, condescendere opinioni. Hanc, qualiter fiat, docui. Præjudiciorum vulgus, in naturalibus, accusatur: quibus præjudiciis SS. accommodare sese, dicitur. Hoc esse falsum, demonstravi. Et hæc, quam ostendere volebam, insufficientia est. Argumenta autem, quæ in medium attuli, rationibus sacris, philosophicis, & pietate firmavi.

mavi. In quibusdam, Partium & Lectoris conscientiam appellavi: quia, eosdem salutis quoque æternæ satagere, & veritatis esse amantes, credidi. Certavi de pulvere; sed sine pulvere & sanguine. Ore locutus sum libero, qui nihil dare cujuspiam auribus soleo. Æmulatus autem interdum sum pro S.Scripturæ Majestate, Veritate & Pietate: quia eosdem divinis acquiescere sententiis decuit, qui suis securè & superbè indormiũt præjudiciis. Et, ut oleum Copernicæis in auriculam instillarem semper, rationes Mathematicæ quidem jusserunt; sed DEUS & conscientia prohibuit. Vanitas certè ratiuncularum Deo, in S. literis loquenti, redundare in præjudicium non debuit. Audi, quæso, Domina, & expende: cujusnam Partis Sententiæ S. Scriptura aurigetur? pro quo loquatur? Ne tamen loqui solummodo videatur, sensum ex ipsius depromsi scrinio. Legant, quod in suis Rabbini Proverbiis habent, effatum: *Qui cultum stellarum & planetarum profitetur, totam legem abnegat.* Et ego dico: qui cursum stellarum & planetarum ex Scriptura, contra Scripturam, profitetur; ille totam abnegavit Scripturam, Fecit hoc Wittichius, sympatriota meus. Sed, nihil dare ei, visum est: qui Deo, qui fidei Patriæ nihil dedit.

Hisce tamen non obstantibus, sua Viris Clariss. constitit autoritas: suus cuique est

datus honor, sua fama & excellentia. Nihil personis: aliquid opinionibus detractum est. Materia quidem, uti fateor, rixosa est: &, de quâ dentatâ hactenus actum est chartâ: adeo, ut, ad incitas usque disputatores esse redactos, diceres. Veruntamen *propositi atque ingenii mei est*, (cum Cicerone loquor) *eorum inprimis curare famam, quos diligo*: quos honoro, & cum quibus ne conferri quidem in minimis queo. Rationes ego cum rationibus contuli: sententias contesseravi, examinavi. Volvere Solem in Ecliptica, Ptolemæo concessi: Terram, Copernicæo. Neutri Deum. Clausum utrique Scripturæ librum volui: quia ambo impingunt, dum altercantur. Alter tamen leviùs: &, quia de Sphæris commodiùs ex Intellectûs Sphæra disputatur. Testem quoque hujus controversiæ Spiritum S. infallibilem, sincerum; non æquivocantem, non simulantem vel dissimulantem, esse in naturalibus, probavi. Normam eum esse in purè Mathematicis, negavi. Inadæquatam, & per accidens, in Naturalibus, agnovi. Denique non tam disputavi; quàm rationes & sententias contuli. Neque, operosâ Autorum citatione onerare Lectorem, libuit. Et, quos citavi; suas ipsis rationes, sua verba, sua commata & distinctiones, quantum quidem per typographicas operas licuit, reliqui. Rem rebus: voces vocibus contuli. Bre-

li. Brevitatis fui studiosissimus: quia paucitas verborum argumentum quondam fuit dignitatis Patriarcharum, qui cum Deo, qui de Deo, paucis, & locuti sunt, & nobis exemplum reliquerunt. Propheta quoque Magnus βαττολογίαν istam damnat, Matt. 6. v. 7. Quæ omnia Viri Præclarissimi in me probant: Virtutem vocant: & carminibus deprædicant.

Cæterùm, de mea mihi meliùs tenuitate constat: qui mecum semper habitavi. Quod si labor iste meus pusillus appellari Virtus debet, ut quidem Viri Doctissimi, valde mihi faventes, volunt: disco ex Sapiente, neminem adhuc exstitisse, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur. Tenuis valdè mea est suppellex. Tu nosti, Domina. In ipso vitæ meæ exordio parentibus meis, & temporis progressu, omni meo patrimonio orbatus, & fere Musis totaliter exemtus sum: nisi Clarissimus D. BENJAMIN DUCIUS, Scholæ Bicinensis Rector emeritus, Præceptor meus æviternùm honorandus, rudi, quicquid est, infudisset testulæ: & me, qui juvencos & aratra sequi, præ miseria, fame & bello grassante, decreveram, sub suam suscepisset ferulam & disciplinam. Multum ego canitiei ipsius venerandæ debeo. Et quia, quid rependam, non habeo: Deus ipsi gratias! Ego officia. Novi, inquam, me ipsum.

Lego, quæ Boëtius lib. 1. de Consol. Phil. *Jam scio*, inquit, *morbi tui aliam vel maximam causam*: *quid ipse sis, nosse desiisti.* Nihil circuitione utar. Errare, decipi & labi potui. Quis miretur? Homo sum; & junior quidem. Peccasse me hîc credo: quanquam nesciam adhuc. Veniam ergo à Lectore meæ faciliùs impetrabo tenuitati, & ignorantiæ: quia culpam fateor. Sanabili ægroto malo: quia corrigi & erudiri volo. Lectori me meaque examinanda subjeci, cujus non tam benevolentiam, quàm candorem, in judicando expetii: & CANDIDUM ubique fere appellavi. Ille mihi curia, censor & Quirites esto. Unum tamen est, quod excipio. Acriùs paulò rationes Copernicæas, circa sacra, persecutus sum. Sed autore DEO, & Veritatis conscientiâ. Neque Ptolemaicis peperci, ubi causam bonam malè defendunt. Non offendentur Viri, quibuscum placidè contuli. Non arrogantiæ postulabunt: quia, non verborum fastu, sed argumentorum pondere, egi. Tantum tamen mihi arrogo, quantum, à contemptu & insolentiâ distare, satis est. Si alicubi rationibus prævalui, & Viros magnos insufficientiæ convici. Tum vici. Sed, cum illos vinco, mox erubesco: quia cum iis nullo comparandus modo.

Lectorem itaque, cujuscunque fuerit sententiæ, oro. 1. Cogitet. quæ Plinius Epist. dicit:

dicit: optimus & emendatiſſimus *ita cæteris ignoſcit, tanquam ipſe quotidie peccet: ita peccatis abſtinet, tanquam nemini ignoſcat.* Experientia enim compertum eſt, eum veniam maximè negaſſe, qui illam petere ſæpiùs meruit. 2. Si cui, ſuam mecum communicare ſententiam, viſum fuerit: meas attentè legat, & expendat primùm, rationes: quia ſine ullo Hypotheſeos præjudicio datæ ſunt. Agat *candidè* mecum, ſecundùm DEUM & conſcientiam. Rationibus; non autem affectibus, invidis & contumelioſis vocibus. Quodſi erravi: modeſtam acceptabo lubens correctionem, & gratias agam, meaque corrigam. Sed *deprehendat ſe prius oportet, antequam emendet*, quod rectè Seneca, & ego illum, monemus. Agat mecum *placidè*: &, rem ſibi, non cum Hercule irato, & cum Furiis pugnante; ſed cum ancillis Mœoniis loquente, eſſe ſciet. Si autem alicujus, propterea, dente rodar: uti quidem placere omnibus non poſſumus: & multi, neglecto erudito pulvere, Archimedem ipſum obtruncant. Intra gloriam reputabo, quicquid paſſurus ſum. Nam, rectè ſentire & cordatè dicere eſt quidem ſubjici invidiæ; ſed ſervari etiam gloriæ ſolemus. Dabit Virtus ſuis, aliquando, cultoribus choreas. Invidi autem ipſâ torquebuntur virtute. Torqueantur.

Verbo. Intentio mea atque ſententia in Proœ-

Procemio declarata, observanda est: quia peculiares in ipso tractatu, quibus incumbat, rationes substernit. Satis perspicuè egi. Quapropter peregrinus mihi neutiquam affingi sensus potest. Quos verò novos conceptus & opiniones, veluti Lib. I. cap.6.n.39.40. &c. habeo: non illas habeo; sed conceptas LECTORI expono. Quas si solidis subverterit rationibus; & ego eas, tanquam ingenii abortum, projiciam.

Sed importunus Tibi, DOMINA Clarissima, nimis sum: utpote, quæ lucubrationibus tuis Mathematicis assiduè immoraris. Accipe libellum,cui candorem: accipe & officia mea, quibus favorem, dare dignaberis. Claudam. Habeto interea felix Novi hujusce Anni votum, DEUM & VIRTUTEM. SALVERE. TE. O. M. SALVATOR. ÆTERNUM. JUBEAT. TUA. VERO. VIRTUS. TIBI. CRESCAT. TE. CORONET. PERENNET. SALVE. DEO. VIRTUTI. PATRIÆ. TIBI. VALE!

P. S. Quod superest. Excellentissimo tuo marito. Amplissimo Senatui Bicinensi. Item: Admodum Reverendis, Clarissimis, Doctissimis, D. Constantino Ringio Ecclesiæ vestræ Seniori. D. Samueli Pollucio. (Clarissimo D. Ben-Jamin Ducio, Rectori,& Præceptori olim meo colendo) R. D. Adamo Gdacio, Ecclesiæ Cruciburgensis Pastori &

ri & Seniori. R. D. Johanni Conradi, ejusdem Diacono. R. D. Georgio Geysio Proschlicensis. R. D. Paulo Muscalio, Roskovvicensis. R. D. Johanni Scopio, Nagodovvicensis, Ecclesiarum Pastoribus vigilantissimis. R. D. Danieli Oppolio, Eccl. Constadiensis Diacono. Item Eximiè Eruditis, Humanissimis Dnn. D. Adamo Deditio, Scholæ Cruciburgensis Rectori. D. Johanni Roscio. D. Thomæ Johannis, Scholæ Patriæ Collegis meritissimis: aliisque meis consanguineis & amicis honorandis, Salutem DICO & MITTO.

Dabam Trajecti ad Rhenum, Kal. Febr. Anno salutiferi Virginei partûs M.DC.LV.

Tuarum Virtutum

Devotus,

Qui suprà,

CULTOR.

INDEX RERUM hocce Examine contentarum. Numerus denotat paginam.

A.

Con-

C.

D.

E.

Etiam

O.

P.

Q.

Sa-

S.

T.

Theo-

FINIS.



INDEX AUTORUM,

Quibuscum hîc actum est.

S. SANCTA SCRIPTURA.

Schoo-

INDEX.

FINIS.

